


8
P
D
K
C

UNIVERSITY
OF
TORONTO
LIBRARY

B162
Ydu

Virg., l. Aeneis



DE VERGILII SERMONE EPICO
CAPITA SELECTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

THEODORUS DÜRING.

EMDENSIS.

83623
20/9/07

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMV.



DE VERGILII SERMON
CAPITA SELECTA.

De dissertatione probanda ad ordinem philos. rettulit
F. Leo.
examen rigorosum habitum est die XX mens. Iul.
a. MCMIV.

GÖTTINGEN

VERLAG VON HANNOVERSCHE BUCHHANDLUNG

1904

PATRIS MANIBUS.

Cum de Vergilii sermone scribere suscipiam, timeo, ne quis, postquam titulum huius libelli legerit, aut ignorantiam aut temeritatem mihi imputet, quod post tantam copiam observationum de poetae huius sermone a tot viris doctis coacervatam aliquid novi proferre mihi videar. sane agitur de re a multis tractata, nec pauci sunt viri docti de interpretatione Vergilii bene meriti, quorum ex numero in primis Wagnerum, Coningtonum¹⁾, Henrium²⁾ nomino. his nuper accessit Eduardus Norden, qui Aeneidis librum VI egregio commentario instruxit addiditque appendicem, qua de rebus grammaticis et metricis agitur³⁾.

Qui omnes viri docti in hoc uno poetae non sufficiunt, quod saepe altius sonantis sermonis audacias non ita explicare student ut quaerant quid quomodo poeta ausus sit, sed ut figuram qua sit usus indicent. neque vero Latinam poesin Graeca ad nostrum aevum tradita magis rhetoricam esse nego, si totam spectamus. rhetoricum autem quidquid est scholam sapit. atqui eo magis cavendum est, ne scholae rhetorum, quam frequentabant adolescentuli, temere imputemus quod est poetae, neve vocabulo scholastico rei imposito poetae satisfacisse nobis videamur.

1) P. Vergili opera with a commentary by John Conington and Henry. Nettleship.

2) Aeneidea or Critical, exegetical and aesthetical remarks on the Aeneis by James Henry, London 1873—89.

3) Nordeni liber editus est, cum observationes meae iam aliquatenus progressae essent. a quo in universum eo dissentio quod saepius quam verum mihi quidem videtur, Ennio deberi putat quae, etiamsi imitatio Enniana subsit, tamen Vergiliana dici debeant. qua de re infra passim mihi dicendum erit.

Quae cum etiam in poetis qui non sine iure dicuntur rhetoricis inde ab Ovidio valeant, multo magis Vergilium interpretantibus observanda sunt, qui quantum a luminibus rhetoricis Ovidianis abhorreat, quivis sentit.

Sunt sane, quae in instrumentis ut omnium poetarum ita Latinorum habere liceat, sed poetae est ita eis uti, ut non vana ornamenta sermonis efficiantur sed quae toti sententiae affulgens lumen addant. talia in suum usum vertere et alieni ingenii inventis, quoad sunt imitabilia, plus minus mutatis suum sermonem ornare imitatore prodit; poeta aut nova invenit aut aliorum inventa transformando et accommodando nova et sua reddit. atque Vergilium, cum poetam esse sentiamus, spero me demonstraturum non eum esse, qui temere sermonem figuris exornare studuerit, immo nihil eorum quae viri docti nomine scholastico indicato explicare supersedeant, sine diligentissima interpretatione dimittendum esse. alterum hoc probare velim: Vergilium proprio sermone inter ceteros poetas epicos excellere. quam ob rem eis, quae in Vergilio observavi, similia quae inveniuntur, ex Lucretio, Ovidii metamorphoseon libris, Valerio Flacco, Statii Thebaide integris contuli; praeterea ex aliquot libris Lucani collata, ex aliis poetis fortuito quaesita adscribam; quam comparisonem multo latius, quam facere mihi licuit, persequendam esse satis scio.

Iam rem ipsam aggrediamur. atque exordium faciamus a specie sermonis epici cuivis nota atque trita, quam dicunt ἐν δὶὰ δύοιν.

Caput I.

De figurae ἐν δὶὰ δύοιν usu et ratione.

Quae hoc nomine a grammaticis comprehendi solent, eorum neque una ratio est neque satis circumcidere solent, quae huius figurae definitionem superantia simile tantum quiddam habent.

Quid sit ἐν δὶὰ δύοιν, Servii scholion ad Vergilii Aeneidis I, 61 explicat: *et est figura, ut una res in duas dividatur metri causa interposita coniunctione ut alio loco 'pateris libamus et auro' id est pateris aureis.* exemplum est sumptum ex versu

Georg. I. II. 192 *laticis qualem pateris libamus et auro.*

certe hoc nihil aliud esse potest atque *pateris aureis*. sed cavendum, ne dicamus poetam, quod formam *aureis* ut versui incommodam eliminare voluisset, sermonis egestate coactum esse, ut novam atque duram, in qua offenderes, coniunctionem eam inveniret vel ea ab alio inventa uteretur. hoc minime dignum est poeta¹⁾. Immo ex figura ornatum sermonis sibi sumit, quo efficitur, ut pretium paterarum eluceat.

Si quaeritur, quomodo poeta Romanus sic dicere potuerit. res haec est. est duplex species instrumenti, quo libatur, quod ad formam attinet *patera*, *aurum* quod ad materiem. aurum etiam dicitur ipsum instrumentum usu notissimo, quo res ex quavis materie factae ipsius materiei nomine appellantur, ut Vergilius Aen. I, 739

ille impiger hausit

spumantem pateram et pleno se proluit auro.

aurum dicit, quod modo pateram appellavit²⁾, atque in eo quod duo ea verba copula *et* coniunguntur³⁾, si quidem nos offendimur, minime id latinis hominibus accidit.

Quod autem sane quaeritur, utrum figurae illa forma a Vergilio inventa sit an ab ea ut aliis antea usitata ornatum sumpserit, ceteris exemplis enumeratis vel explicatis decernemus.

Quae ex Vergilio huc pertinent, a versu georgicorum modo explicato eo differunt, quod duae illae voces in unum comprehendendae de adiectivo vel participio aliquo dependent, quo modo saepe etiam nobis offensio minuitur, velut

Aen. VII, 142 radiisque ardentem lucis et auro

ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.

namque item verba *nubem radiis lucis ardentem*, nec non *nubem auro*

1) neque revera a forma quae est *aureis* abhorret: habemus eam Aen. I, 726 *dependent lychni lacuaribus aureis*, V, 352 *atque unguibus aureis*. ceterum, quomodo si voluerit poeta hanc formam evitare potuerit, si quidem quaeris, ex his cognosceas: Aen. II, 765 *crateres auro solidi* III, 483 *fert picturatas auri subtegmine vestes* aliisque multis.

2) cf. Stat. Theb. V, 187 *vacuantque profundo aurum immane mero*.

3) notari debet poetas Latinos, ut videbimus, persaepe voces particula *et, que, atque* coniungere, quas nos coniunctione omitta ponere solemus usi appositionis quae dicitur forma.

ardentem per se stare possunt. illa ad formam attinent, haec ad colorem. sermonis autem debilitatio mihi videtur esse, si quis explicat cum Servio *radiis aureis*. nonne etiam genitivus qui est *lucis* tum supervacaneus est? similem divisionem deprehendimus

Aen. I, 648 *pallam signis auroque rigentem*

res autem eadem significatur atque III, 483 *picturatus auri subtegmine vestes*. ad georg. locum magis quadrant versus

Aen. VIII, 435 aegidaque horrifera, turbatae Palladis arma,
certatim squamis serpentum auroque polibant.

et IX, 707 nec duplici squama lorica fidelis et auro,

quibus verbis auro poeta vix dicere poterat firmitatem loricae augeri.

Tertia huius figurae forma invenitur

Aen. III, 467 loricae consortam hamis auroque trilecem

et V, 259 levibus hic hamis consortam auroque trilecem
loricam . . . donat.

eo enim figurae species lenior fit, quod verborum, quae in unum comprehendenda sunt, alterum ab altero verbo dependet.

His non addendus est locus Aeneidis II, 627

ornum

cum ferro occisam crebrisque bipennibus instant
eruerē . . .

nam si quis, ut Nordenus.¹⁾ cum scholiis²⁾, interpretatur *ferreis bipennibus*, 'ferreis' plane vacat. est potius epexegesis vel quocumque nomine nuncupare velis quod, cum uno verbo plane ita indicatum sit, ut nihil desideretur, altero verbo planius dicitur. Servius h. l. tautologiam esse dicit. Sed non est idem bis dictum, cum voce adiectiva *crebris* non priori sed altero substantivo addita novum aliquid accedat. de hoc in verbis coniungendis modo postea.

Alius locus, qui huc refertur, est

Aen. IX, 603 durum a stirpe genus natos ad flumina primum
deferimus saevoque gelu duramus et undis.

ad quem l. Servius adnotat '*undis gelidis*' et est ἐν δὲ δροῶν ut '*hamis auroque trilecem*'. sed notandum est *saevoque gelu duramus*

1) l. l. p. 212.

2) scholiorum nomine indico, quae Servii Danielis nominari solent.

et undis pro undis gelidis nisi praemissis verbis, qualia sunt ad flumina primum deferimus, dici non posse. eo enim statim apparet sacroque gelu dicta esse de fluminis aqua ideoque cum eis coniungendum esse verbum undis.

Ab his omnibus diversa est ea forma τοῦ ἐν διὰ θούων, qua duae voces particula copulativa ita inter se coniuncta sint, ut alteram pro genetivo, ad priorem vocem qui pertineat, positam esse putent. exemplum nobis praebet locus, cui Servius definitionem τοῦ ἐν διὰ θούων supra traditam adscripsit ¹:

Aen. I, 61 molemque et montes insuper altos
imposuit.

aequo iure ἐπεξήγησεν, de qua infra scribam, nomines; nam est inter usitatissimas figuras, ut nomen concretum, quod dicimus, sic cum abstracto coniunctum sit. sin definitionem ad Aen. I, 61 datam respicimus, talem coniunctionem verborum licet figurae ἐν δ. δ. vindicare. eadem species invenitur:

Aen. V, 35 at procul ex celso miratus vertice montis
adventum sociasque rates occurrit Aestes.

neque tamen dici potest hic poetae audaciam esse sine ratione. immo breviter sic indicat Aestem primum naves advenientes vidisse, tum cognovisse, quae essent. unam rem in duas esse divisam his quoque locis confitendum est:

Aen. II, 319 Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos
h. e. sacerdos Phoebi, qui in arce colitur. similiter, ordine inverso

VII, 419 fit Calybe Iunonis anus templique sacerdos.
quod legimus simili ratione dictum

Aen. III, 222 et divos ipsumque vocamus
in partem praedamque Iovem.

videmus, quomodo Grattius versu cyneg. I, 247 debilitet: *in partem praedae veniat comes.*

Cur tandem Vergilius eam coniunctionem verborum amaverit, si quaeres, respondebo, ut verba singula maiorem vim acciperent.

1) eodem loco Servius etiam pro exemplo utitur nomine ἐν διὰ θούων addito Aen. X, 754 et georg. II, 192, omissio figurae nomine Aen. I, 111, 311, 648. II, 420. V, 431.

Ante Vergilium vix quisquam eadem figurae speciei uti solebat. nam apud Lucretium, quod iure his Vergilianis comparari possit ¹⁾. nihil invenitur, et poetae posterioris aetatis ubi simile quid temptant Vergilium imitari videntur. Ovidii in metamorphoseon libris unus locus exstat eodem modo quo Vergiliani conceptus

met. III, 32 ²⁾: Martius anguis erat cristis praesignis et auro ubi collocatio verborum plane confecta est ad Vergilianum illud *duplici squama fidelis et auro vel radiis ardentem lucis et auro*. qui autem dictis Vergilianis sermonem suum exornare solent, ab hoc genere dicendi abhorrent, nisi quod Silius Italicus ingenii Vergiliani adulator et imitator studiosissimus plane ad vatis sui exemplar (Aen. V, 259, III, 467) hoc ausus est: II, 401 *tectam nodis auroque coronam*. Valerii Flacci autem quem locum vindicavit Langenus huic figurae, Arg VI, 378

cum regina gravem nodis auroque securem,
minime huc pertinet. nam duo sunt *nodis* et *auro*. nusquam enim pro eo, quod est *bulli aurei*, dicitur *nodi aurei* nec dici potest. *nodi* ³⁾ ipsi ligno insunt. neque casui deberi credo, quod verba Valerii legens reminiscor loci Vergiliani simillimi, qui est Aen. I. 728

hic regina gravem gemmis auroque poposcit
. pateram.

ceterum Valerium in imitandis Vergilii audacis cautiorem esse docere potest, quod Vergilii verba supra explicata *saeroque gelu duramus et undis* his imitatus est

1) Lucr. V, 1427

at nos nil laedit veste carere

purpurea atque auro signisque ingentibus apta

Munro interpretatur *large figures worked in with gold*, dubito, num iure. vestis enim et auro et signis apta esse potest. vix si ξ δ . δ . esse voluisset poeta, praemisisset *auro*.

2) aurum dici de cristis aureis pro certo habeo. quod ad rem attinget, compares Stat. Theb. V, 510 *et auratae crudelis gloria frontis prominet*. et Ov. met. XV, 669 *cum cristis aureis altis in serpente deus praenuntia sibila misit*.

3) cf. Aen. VII, 507 *stipitis hic gravidi nodis*, XI, 553 (*telum*) *solidum nodis et robore cocto*. Plin. XIII, 5 aliis locis.

Argon. VI, 336 ubi tam saevo duravimus amae
progeniem natosque rudes,

hoc modo figuram Vergilianam eliminans. eandem sententiam
Silius Italicus expressit l. IV, v. 226

quosque in praegelidīs duratos Hernica rivis
mittebant saxa.

His autem omnibus manifestum est eam figuram ἐν διὰ ῥῥοῖν
speciem ex poetis epicis unum Vergilium coluisse¹⁾

Figuram ἐν διὰ ῥῥοῖν ita circumscripsimus, ut eis tantum
locis statueremus, quibus una res in duas notiones divisa est.
sed iam vidimus proxime accedere id figuræ genus, quo fit ut,
quod una notione satis indicatum sit, altera addita firmetur.
neque grammatici discrimen faciunt, utrum una res in duas divisa
an potius bis idem dictum sit, velut ad Aen. II, 627 *ferro ac-*
cisam crebrisque bipennibus Servius explicat: *tautologia est*, scholia
habent: ἐν διὰ ῥῥοῖν, et Servius ad Aen. V, 410

quid si quis caestus ipsius et Herculis arma
vidisset

adnotat ἐν διὰ ῥῥοῖν *arma id est caestus*, nempe grammatici non
curant altera notio quid ad priorem valeat, nobis tamen, si quid
proficere volumus, in primis observandum est, quæ ratio inter
duas eas notiones intercedat²⁾.

Atque raro fit, ut duarum notionum in unam comprehenden-
darum altera prioris variatio tantum sit, plerumque aut epexe-

1) tamen poetam figuram invenisse minime credi potest: potius
crediderim eam ex sermone vulgari sumptam esse, quod probari vi-
detur versu Plauti Aulul. 710 *scio fares esse hic compures, qui vestitu*
et creta occultant sese atque sedent quasi sint frugi, ubi *vestitu et creta*
nihil aliud esse videtur nisi *vestitu cretato*, conferas adnotationem
Ussingii.

2) dissentio a viro eruditissimo Eduardo Norden, qui l. l. p. 128
coniecit plerumque duarum notionum ita inter se coniunctarum alteram
ex poesi archaica sumptam esse, atque minime nego Vergilium hanc illam
notionem ab antiquioribus poetis, in primis ab Ennio, in suam dictionem
transtulisse, sed errorem eius, qui fere omnibus locis, quibus duabus
vocibus bis idem significatur, unam Ennio deberi existimat, plane pate-
facit, quod ubique certa ratio duas illas notiones coniungit.

genesis, ut dicunt grammatici, prioris est aut exornationem addit. qua imago vel auribus vel oculis fingatur. sin est mera variatio, ratione minime eget, velut, cum de rebus visu mirabilibus loquitur, poeta duplici modo rem indicat. sic

Aen. VI, 25 mixtumque genus prolesque biformis,
 quae verba si interpretaremur 'mixtum genus proles biformis' ne hilum quidem proficeremus, et VI. 27 *hic labor ille domus et inextricabilis error.*

Ergo ratio quaerenda est, quae inter duas voces copulatas intercedat. ac primum quidem saepissime altera pars priorem vel explicat vel definit vel complet. quod scholia epexegetin dicere solent, velut ad Aeneidis I, 27 (*iudicium Paridis spre-taeque iniurii formae*) Servius adnotat: *epexegetis est, hoc enim fuit iudicium Paridis: ut 'quae' particula vacet.* plerisque locis etiam altera pars sine detrimento sententiae vel obsuratione demi nequit. quae huc referenda sunt, eo solo ordine proferam. ut similia ubi inveniuntur, una collochem:

Aen. I, 111 in brevia et Syrtes urget.

(*Servius i. e. in brevia syrtium*)

II, 622] apparent dirae facies inimicaeque Troiae
 numina magna deum.

VII, 657 clipeoque insigne paternum
 centum anguis cinctaque gerit serpentibus hydram.

quod nihil aliud est nisi *hydram centum* anguibus cinctam.

VII, 94 atque harum effultus tergo stratisque iacebat
 velleribus.

VIII, 177 praecipuumque toro et villosi pelle leonis
 accipit Aenean.

IX, 306 pellem horrentisque leonis exuvias,

VII, 751 fronde super galeam et felici comptus oliva,

VIII, 288 ut prima novercae
 monstra manu geminosque premens eliserit anguis.

IX, 569 saxo atque ingenti fragmine montis¹⁾,

V, 399 haud equidem pretio inductus pulchroque iuvenco,

1) cf. X, 698 simile tantum XII, 531 *praecipitem scopulo atque ingentis turbine saevi.* nam turbo motionem significat.

XI, 22 interea socios inhumataque corpora terrae
mandemus.

(schol. ἐν διὰ ὄνομα pro 'corporu sociorum')

XI, 522/3 accommoda fraudi armorumque dolis,

XI, 554 natam libro et silvestri subere clausam,

XII, 945 ille oculis postquam saevi monumenta doloris
exuviasque hausit,

X, 423 haec arma exuviasque viri tua quercus habebit.

VI, 788,9 hanc aspice gentem Romanosque tuos.

huc etiam referri potest

VIII, 201 auxilium adventumque dei,

nempe eis auxilio erat adventus Herculis dei: inepte scholion ad h. l. ita explicat: *hysteropteron; ante enim adventum, sic auxilium debuit dicere.* res potius sic explicanda erat: et nobis aliquando aetas auxilium, scilicet adventum dei attulit.

Propius etiam appositionis quam dicimus formam accedit epexegetis quae est

VIII, 658 defensi tenebris et dono noctis opacae,

ad quem locum Servius adnotat *multi iterationem voluit, alii dicunt 'tenebris' propter cuniculos, 'dono noctis' somno, nam somnum noctis est donum.* immo hoc voluit poeta: *tenebris, quae erant donum noctis opacae.* imitatus est hunc locum Ovidius met. l. X, 476 *tenebris et caecae munere noctis* non solita audacia.

Aen. I, 247 hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
Teucrorum.

i. e. urbem locavit, ut esset sedes Teucrorum.

VIII, 263 abstractaeque boves abiurataeque rapinae
sunt boves, quarum rapinam abiuraverat (Aeacus¹). audacter etiam dictum est

X, 190 populeas inter frondes umbramque sororum,
quod Servius recte interpretatur *inter arbores de sororibus factas*²)

1) quantopere de hoc loco grammatici antiqui hariolaverint, videmus ex scholiis ad hunc versum traditis.

2) Servius ita pergit *et est unum de his, quae habet Vergilius inimitabilia et sua propria.* talia non inimitabilia vel nova dicta Vergili iam

Coniunctione verborum, de qua agitur, Vergilius praecipue utitur, ut aut affectum quendam sermoni addat aut imaginem oculis vel auribus moveat. quid mirum, quod Venus tristem easum Troiae cogitans duabus notionibus fere idem dicentibus usa exclamat

I, 238 hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas
solabar . . .

ut affectum ostenderet, eandem rem duplici modo expressit etiam

III, 247¹⁾ bellum etiam pro caede boum stratisque iuvenis,
Laomedontiadae, bellumne inferre paratis,

ad quem locum iam scholia explicant: *iteratum est ad augendam invidiam ut stirpis Achilleae fastus invenemque superbum*²⁾. audacissimum est exemplum a scholiis adscriptum, quod sumpserunt ex libri III, v. 326, audacissimum dico, quod abstracto, quod dicimus, *stirpis Achilleae fastus*, adnexum est concretum idem significans *iuenemque superbum*. aliquo modo comparare licet

VI, 426 continuo auditaе voces vagitus et ingens
infantumque animae flentes,

I, 200 Scyllaeam rabiem penitusque sonantis
accestis scopulos³⁾,

concretum antecedit abstractum⁴⁾:

pridem a grammaticis observata fuisse testatur Macrobius VI, 6, 1 *sed nunc dicat volo Servius, quae in Vergilio notaverit ab ipso figurata, non a veteribus accepta, vel ausu poetico nove quidem sed decenter usurpata*.

1) huc non pertinet III, 256 *sed non ante datam cingetis moenibus urbem quam vos dira fames nostrique iniuria caedis ambesas subigat malis absumere mensas*. audacissime hic, quae famis causa est, quasi alterum subiectum adiectum est.

2) sed ipse qui hoc scholium confecit dubitanter addit *aut aetates boum voluit comprehendere*.

3) cf. III, 432 *Scyllam et caeruleis canibus resonantia saxa*.

4) longe alia res est, si abstractum et concretum non de una eademque re dicta ita coniunguntur, ut verbum ad utramque vocem referendum ad alteram sensu tralato accipiendum sit ad alteram genuino. qua copulatione Vergilium parcius et cautius uti quam Ovidium et poetas posterioris aetatis F. Leo dixit Sen. trag. I p. 198.

- VI, 623 hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos,
 XII, 42 natam et conubia nostra petentem,
 III, 327 qui deinde secutus
 Ledaeam Hermioneen Lacedaemoniosque hymenaeos.

Poetae est rem ita depingere, ut non notionem siccam efficiat, sed nobis sensum aliquem moveat. quod saepe eo efficitur, ut notioni rem plane indicanti altera addita sit attributivo aliquo coniuncto, velut

- VII, 804 agmen agens equitum et florentes aere catervas,
 VI, 282 in medio ramos annosaque brachia tollit
 II, 146/7 manicas et arta levare vincula
 VIII, 244/5 infernas reseret sedes et regna recludat pallida,
 I, 53 luctantes ventos tempestatesque sonoras,
 XII, 248 litoreas agitabat aves turbanque sonantem
 agminis aligeri.

uno loco etiam animadvertere nobis licet, quo pacto ipsae voces, quas ad rem depingendam elegit, poetam induxerint, ut alteram adderet, nempe

- VI, 734 neque auras
 dispiciunt clausae tenebris et carcere caeco.

ubi plane sufficeret *clausae tenebris*, sed verbum, quo usus est, *clausae*, ut imago perfecta esset, addere coegit *et carcere caeco*.

Una res compluribus notionibus particula copulatis expressa imaginem vivaciorem efficit:

- VIII, 241 at specus et Caci detecta apparuit ingens
 regia et umbrosae penitus patuere cavernae.
 XI, 680 caput ingens oris hiatus
 et malae texere lupi cum dentibus albis,

ubi toti quod est *caput lupi*, pars addita est *malae cum dentibus albis*¹⁾. plerumque autem talis exornatio ad complures partes pertinens per adiectiva alterum alteri notioni addita fit, cuius rei optimum exemplum est

1) singulari audacia est X, 496
 rapiens immania pondera baltei
 impressumque nefas:

pro in quo impressum erat nefas.

VI, 269 perque domos Ditis vacuas et inania regna.
conferas Nordenum ad hunc locum et ad eiusdem libri versum

VI. 638 devenere locos laetos et amoena virecta
fortunatorum nemorum sedesque beatas.

hoc autem premendum mihi quidem videtur. expolitionem quae dicitur ex adiectivis additis *laetos*, *amoena*, *beatas* arte quaesitam esse, quasi satisfacere sibi non possit poeta in describendo amoenitatem loci. simile pondus adiectivis datum est vel participiis

VI, 68 Latio considerare Teucros
errantisque deos agitataque numina Troiae.

IV, 399 frondentesque ferunt remos et robora silvis
infabricata fugae studio ¹⁾.

II, 27 iuvat ire et Dorica castra
desertosque videre locos litusque relictum,

ubi cum versus includatur duabus participiis idem significantibus, de pondere eis addito dubitari nequit. addi possunt:

VII, 693 iam pridem resides animos desuetaque bello
agmina.

I, 722 iam pridem resides animos desuetaque corda.

In universum igitur dicendum est: Vergilium permultis locis, ut affectum quendam sermoni det aut sensibus imaginem fingat, ut decet poetam, unam rem duabus vel pluribus notionibus particula *que* vel *et* coniunctis indicare. hoc autem altiori stilo epico soli aptum esse quivis sentit.

Itaque minime mirum est, quod in bucolicis talia frustra

1) viri docti, qui Vergilium commentariis instruxerunt, fere omnes (Heyne, Wagner, Forbiger, Gossrau, Henry) quid sit *robora infabricata* tacent; qui dicere conati sunt erraverunt. neque enim sunt mali, ut Peerlcampius voluit, neque autemnae ut Segebade (Programm. Oldenburg. 1895 p. 8) neque ullo modo possunt esse traves, quibus naves tempestatibus laesae reparantur, quod temere putans Georgii (Antike Aeneiskritik, ad hunc versum) etiam suum errorem poetae imputat. sunt certe nihil aliud atque *remi*. nam naves iam reparatae et *unctae* (v. 398) natant: uniuscuiusque est suum remum parare: ita Hercules apud Val. Flaccum l. III. v. 475 sq. pro remo fracto alium paraturus nave relicta *petit excelsas . . . ornos*. *robur* cum aliis locis pro *hasta* dictum sit, aequo iure de *remis* dicere licet.

quaeruntur¹⁾. admodum rare etiam in georgicis similis coniunctio verborum invenitur:

g. II, 511 exilioque domos et dulcia limina mutant,

I, 75 tristisque lupini

sustuleris fragilis calamos silvamque sonantem.

III, 198 segetes altae campique natantes²⁾,

ut omnia comprehendantur, accumulatur notiones

g. III, 541 iam maris immensi prolem et genus omne natantum
in Aeneide similis eiusdem rei iteratio tantum, non expolitio, vix
invenitur, qualis est

g. IV, 472 umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,
quorum verborum altera pars Lucretio debetur, qui habet IV, 35
cum saepe figuras contumur miras simulacraque luce carentum.

Quaerentibus, num signum Vergilianum habendum sit, ut
duae notiones tali ratione coniungantur, manifestum erit Vergilium
et frequentia earum copulationum et arte ceteros superare.

Apud Lucretium plerumque abundantia sola sermonis efficitur
verbis fere synonymis accumulatis nonnumquam ita, ut
altera pars rem verbo cotidiano expressam habeat altera poetico
more circumscriptam, velut, quod Vergilius nunquam dixisset,

Lucret. VI, 405 quid undas

arguit et liquidam molem camposque natantes?

III, 346 maternis etiam membris alvoque reposita,

II, 60 non radii solis neque lucida tela diei,

II, 273 viribus alterius magnis magnoque coactu.

II, 1104 indignos inque merentes,

IV, 158 texturas rerum tenuis tenuisque figuras.

V, 1239 atque potestates magnas mirasque relinquunt

in rebus viris divum,

1) ecl. VIII, 94 verba: *has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena* quamquam omnes Vergilii interpretes, quod scio, ἐν δὲ τὰ βοσῶν habere putant, refutari videntur particula demonstrativa ad alteram quoque partem apposita. nimirum Alphesiboeus ostendit duo herbarum genera.

2) vides quomodo Lucretii verba ex VI, 405 translata sua fecerit ita quidem ut, quod ille de mari dixit, de segetibus undantibus dicens optimam imaginem praebeat.

- V, 1311 cum doctoribus armatis sacrisque magistris,
 VI, 578 ventus ubi atque animae subito vis maxima quaedam,
 591 impetus ipse animai
 et fera vis venti,
 VI, 817 expiratque foras in apertum promptaque caeli,
 V, 726 glomeraminis atque pilai,
 V, 783 principio genus herbarum viridemque nitorem
 801 principio genus alituum variaequae volucres
 862 principio genus acre leonum saevaue saecula.

eadem abundantia nonnunquam est verborum finitorum

- L. III, 877 nec radicitus e vita se tollit et eicit,
 IV, 219 splendida porro oculi fugitant vitantque tueri.
 813 tempore semotum fuerit longeque remotum.

raro fit, ut altera notione pars toti adiecta sit, velut

- L. III, 650 nec tenet amissam laevam cum tegmine saepe
 inter equos abstraxe rotas falcesque rapaces,

quod Heinzius recte interpretatur *rotarum falces rapaces*, die an den Rädern befestigten Sicheln; accuratius esset: *Die Räder mit ihren Sicheln*¹⁾.

- VI, 1032 trudit et impellit quasi navem velaque ventus.

adici potest:

- VI, 802 carbonumque gravis vis atque odor
 VI, 830 vis haec atque aestus Averni.

Vergilius igitur figuram, de qua agimus, a Lucretio temptatam magis quam usurpatam excoluit atque bene scivit eam altissimo tantum stilo convenire.

Neque mirabimur Ovidium, levioris etsi elegantissimi stili artificem, ea figura sermoni epico inventa in metamorphoseon libris ut epyllii sonum tenentibus parcius usum esse, sed non solum parcius, etiam minus audacter, figurae speciei accuratioris unum exemplum plane ad Vergilii sermonis exemplar confectum (III, 32) supra explicavimus. nonnullis locis dictionem Vergi-

1) cf. Stat. Theb. VII, 712 *falcato Clonin et Cremetaona curru comminus hunc stantem metit . . .* et Val. Fl. VI, 195 *undique falcatos deserta per aequora currus.*

XV, 721 perque sinus crebros et magna volumina labens
749 in sidus vertere novum stellamque comantem.

Quibus apparet Ovidium multo cautius ea figura usum esse. nihil enim habet Aeneidis versui III. 326 audacia aut versui VI, 269 affectionis motu simile; neque fortunae imputabis, quod rarissime apud Ovidium duae notiones ea ratione coniunctae alio casu atque nominativo aut accusativo positae sunt. nempe habent minus ponderis verba alio casu posita. vix unum exemplum habeo praeter XV, 396 et VIII. 158 (h. l. simpliciore arte quam Vergilius labyrinthum describit). tertium exemplum X, 476 *tenebris et caecae munere noctis*, ut vidimus, plane ad Vergilii Aeneidis versum l. VIII, 658 confectum est.

Ex poetis, qui post Vergilium carmini heroico operam dederunt, sermoni Vergiliano proxime accedunt Valerius Flaccus et Statius, quos figuram a Vergilio amatam imitari minime miraberis. sed etiam poetam magis rhetoricum, qualis est Lucanus, ab ea quidem figura non plane abhorreere apparet tribus locis ex librorum de bello civili primo et secundo exscriptis:

Luc. I, 244 ut notae fulsere aquilae Romanaeque signa
II, 7 cum primum informia regna
materiamque rudem flamma cedente recepit
242 expulsae terris olimque fugatae.

in his autem ea ratio inter duas notiones intercedit, ut altera priorem usu Lucretiano variet potius quam exornet.

Vergilianis similiora sunt quae ex Valerio adscribam. etsi enim hoc illo loco altera pars priorem tantum variet, ut

Val. VIII, 222 promissamque fidem thalami foedusque iugale
plurimis locis veram epexegesis esse dicemus velut
III, 658 regna hodie et dulcem sceptris Calydonia tenerem.
IV, 602 inclita Amazonidum magnoque exorta Gradivo
gens ibi¹⁾,
V, 415 Pliades et madidis rorantes crinibus ignes
II, 409 dona duci promit chlamydem textosque labores.
VIII, 300 coniugio atque iterum sponsae flammatus amore.

1) verbis alterius partis *magnoque exorta Gradivo gens* Amazones iterum significari manifestum fit verbis quae sequuntur: *femineas nec tu nunc crede caterras*

invenitur etiam abstractum cum concreto coniunctum :

IV, 164 Hesionam et Phrygiae peteret cum gaudia nuptae.

VI, 691 ut Colebos procul atque Aectia Parthis
foedera donato non irrita iungeret auro.

III, 495 Aeetes contra thalamis et virgine pacta
conciliat reges Scythicos.

adiectivum alteri notioni adiectum novi aliquid addit descriptioni
vel affectum auget :

VIII, 60 ipsius en oculos et lumina torva draconis

VII, 327 utque procul magicis spirantia tecta venenis
et saevae patuere fores,

multo pauciora igitur sunt quae huc pertinentia ex Valerio con-
ferri possunt, neque solum pauciora Vergilianis, sed viliora etiam.

Quod ad indolem poeticam attinet, Vergilianae paulo pro-
pinquior est Statiana. Statius enim, quamquam Thebaidis oeco-
nomiam totam ad Aeneidis exemplar confecit et multa argumenta
ex Vergilio sumpsit, sermone tamen admodum proprio usus est
eoque nonnumquam audacissimo atque audacior etiam est Ver-
gilio in historia aliqua pluribus modis indicanda velut

Theb. IV, 436 post consanguineas acies sulcosque nocentes,
prior enim pars acies virorum ex dentium semine natas significat,
altera ipsam actionem arandi et serendi. similis in historia una
indicanda varietas, a qua Vergilius recto sensu abhorret, invenitur :

Theb. V, 30 furias et Lemnon et artis
arma inserta toris debellatosque pudendo
ense mares.

praeterea conferas quaeso VII, 787; VIII, 232. durior etiam
sermo Statianus cognoscitur ex loco plane ad Vergilii Aeneidis
I, I, vers 26 *manet alta mente repostum iudicium Paridis spretaeque
iniuria formae* confecto :

Theb. I, 246 neque enim arcano de pectore fallax
Tantalus et saevae periit iniuria mensae.

ubi duriozem esse Statii sermonem sentimus, quod prima parte
hominis nomen cum epitheto coniunctum *fallax Tantalus* pro ipso
crimine 'fallacia Tantali' positum est.

Apud poetam, qui talia ausus sit, non frustra expectabimus

notiones audacter coniunctas. et profecto non pauca huc trahenda sunt, scilicet, ubi altera notio epexegetis est prioris:

Theb. I, 573

felix, si Delia numquam
furta nec occultum Phoebosociasset amorem,

VI, 119 portant inferias arsuraque fercula primi.

VII, 326 fulmineum cinerem magnaëque insignia poenae,
gaudet et Aetnaeos in caelum efflare vapores.

VI, 810 terrificos umeris Aetolus amictus
exiuit patriumque suem,

VI, 54 tristibus interea ramis teneraque cupresso

69 ceu grande exsequiis onus atque immensa ferantur
membra rogo,

sed raro fit, ut altera pars imaginem vivaciorem reddat. eius rei exempla paucissima conferri possunt haec:

II, 508 reliquias amplexa virum semesaque nudis
pectoribus stetit ossa premens,

VII, 393 perspicuas sic luce fores et virgea pastor
claustra levat.

II, 541 per tamen Olenii tegimen suis hirtaque saetis terga,
nonnumquam etiam confitendum est attributivo alteri parti addito affectum aliquem indicari velut

IV, 194 spoliisque potentis
imminet Argiae r a p t o q u e excellere cultu.

VIII, 186 tu Tyrias acies adversaque signa vacasti sternere,

IX, 672 Hypseos hinc turmae desolatatumque magistro
agmen,

plerumque exornationem vel variationem prioris alteri inesse dicas:

I, 520 ast alii tenebras et opacam vincere noctem

XII, 661 noctem adeo et placidas operi iunxere tenebras,

XI, 86 sanguine foedatum rictus atroque madentem
ora ducem tabo

III, 645 Aoniam et diri saturare novalia Cadmi

VI, 80 truncis nemorumque ruina

VIII, 2 letiferasque domos regisque arcana sepulti

X, 7 tuneraque orba rogis neglectaque membra relinquunt.

expolitionis causa etiam potius quam illustrationis notiones, quae fatum significant, variae in unum coniunctae sunt:

III, 241 sic fata mihi nigraeque sororum
iuravere colus.

III, 67 sed mihi iussa deum placitoque ignara moveri
Atropos atque olim non haec data ianua leti
eripere necem.

ex omnibus autem agnoscimus poetam, qui non tam imagines videat aut sentiat, quam res cogitet: atque si Statii dicta Vergilianis conferimus, facile cognoscimus quantum absit, ut Statius in figurae, de qua egimus, usu Vergilium aequet.

Caput II.

De tautologia. quae fit in sententiis copulatis, et de parataxi.

Cum sermone epico aptum sit unam rem pluribus notionibus particula copulativa coniunctis ita significare, ut saepissime, si in pedestrem sermonem convertere conemur, earum notionum alteram ab altera dependentem faciamus, simile quid sententiis totis accidit, sive ut res gesta una duplici modo indicetur, ex quo totius vis augetur.

Atque si quis in oratione affectum suum ostendens unam sententiam duplici modo exprimit, dummodo altera parte cogitatio aliqua ratione deflexa sit, nihil est, quod miremur, sic Vergilius Aeneam crudeli tempestate oppressum fugit vociferantem

Aen. V, 691 infesto fulmine morti,
si mereor, demitte tuaque hic obrue dextra.

et I, 72 facit Iunonem Aeolo pollicentem:

quarum quae forma pulcherrima Deiopeia,
conubio iungam stabili propriamque dicabo ¹⁾.

1) saepe, ut orationem decet, duae partes inveniuntur altera alteram sine coniunctione secutae velut

VIII, 362 haec, inquit, limina victor

Alcides subiit, haec illum regia cepit.

I, 562 solvite corde metum, Teuceri, secludite curas

I, 546 quem si fata virum servant, si vescitur aura
aetheria nec adhuc crudelibus occubat umbris.

Sed etiam extra orationes similia inveniuntur¹⁾. accedere potest, ut poeta aliqua ratione, quod una sententia plane expressit, altera addita quasi iterare inducatur. atque hoc factum esse videmus

Aen. VIII, 184

postquam exempta fames et amor compressus edendi, ubi, cum plane sufficerent verba *postquam exempta fames*, noto Homeri versu admonitus, ut sermonem exornaret, addidit *et amor compressus edendi*. eadem res est

IX, 107 ergo aderat promissa dies et tempora Parcae
debita complebant.

In tertio loco liceat mihi paulo diutius versari; est Aen. I. IX, v. 772:

quo non felicior alter
ungere tela manu ferrumque armare veneno.

cuius alteram partem Servius apud Macrobius (VI. 6. 17) inter *excogitationes novorum sensuum* laudat. ut exemplum duplicis translationis eadem Vergilii verba profert Quintilianus VIII; 6. 12 his verbis: *duplicatur interim haec virtus, ut apud Vergilium ferrumque armare veneno*. sed translationem etiam dici debet verbis inesse *ungere tela*. est ad Graecum exemplar dictum ἰσὸς χρίσθαι; Latini ubique dicunt *tingere*²⁾. Vergilius primus ungenti notionem hoc loco ad sagittas veneno infectas transtulit. sed ipse, quasi ea verba rem non satis dilucide indicarent, addidit *ferrumque armare veneno* atque sententia haec est: tela ungebat, sed miro hoc ungento, quo quasi arma armaret — res vix credibilis — i. e. ferri formidinem formidabiliorem etiam faceret³⁾. unum verbum adhuc omisi *manu*, quod *πλεοναστικῶς*

1) anaphorae formam habet v. X, 639 *dat inania verba, dat sine ment sonum*, anaphorae simillimam v. IX, 723 *et quo sit Fortuna loco, qui casus agat res*.

2) videmus in errorem ductum esse Bentleyum, qui ad Lucani l. III, v. 266 eius dictionis testimoniis collatis etiam loco, de quo agitur, Vergiliano proposuit *tingere tela manu*.

3) hanc cogitationem a me non temere Vergilio illatam esse vel ex eo intellegas quod plane eandem cogitationem invenimus apud Plinium h. n. XVIII, 12 *quod tamen eorum* (scil. animalium) *excepto homine*

IX, 33 hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
prospiciunt Teucri ac tenebras insurgere campis.

vel in telorum descriptione:

XI, 601 tum late ferreus hastis
horret ager eampique armis sublimibus ardent.

XII, 283 it toto turbida caelo
tempestas telorum ac ferreus ingruit imber.

neque aliam causam esse dices, cur Homeri imaginem (Il. III, 3)

ἦ ὅτε περ κλαγγῇ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό.
αἴ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον
κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐκ' Ὀκεανοῖο ῥοάων . . .

his verbis imitatus sit:

Aen. X, 264 quales sub nubibus atris
Strymoniae dant signa grues atque aethera tranant
cum sonitu fugiuntque notos clamore secundo

eo enim Vergilius imaginem ab Homero translata[m] perfecit quod tertium comparationis clamorem esse nulla parte nos facit oblitos. ut hoc autem fieri posset, quae pedestri sermone alia aliis subiungenda essent, velut *Strymoniae dant signa grues aethera tranantes cum fugiunt*, uno ordine coniunxit.

In Georgicis, quod plane comparari possit, nihil inveni. sane georg. l. I, v, 208

libra die somnique pares ubi fecerit horas
et medium luci atque umbris iam dividit orbem,

una res duplici modo indicatur. sed nusquam idem usus eius dictionis est atque in Aeneide: nimirum carminis heroici stilo multo aptior est.

Inter ceteros poetas epicos fere unus Lucretius, cuius abundantiam quandam verborum iam notam habemus, idem genus exornationis habet, sed eo ita usus est, ut ex repetitione eiusdem sententiae aliis scilicet verbis facta plerumque sicci sermonis quasi effugium petiisse videatur:

Lucret. V. 656 tempore item certo roseam natura per oras
aetheris auroram differt et lumina pandit.

VI. 878 exsolvit glaciem nodosque relaxat.

- I, 275 ita perfurit acri
 cum fremitu saevitque minaci murmure ventus,
 II, 186 sursum ferri sursumque meare
 II, 199 tam cupide sursum removet magis atque remittit
 plus ut parte foras emergant exsiliantque.

Talem sermonis exornationem apud Ovidium neque expectamus neque invenimus. quae autem ex metamorphoseon libris aliquo iure huc trahi possunt, elegantiam Ovidianam nequaquam dissimulant, velut

met. I, 85 os homini sublime dedit caelumque videre
 iussit et erectos ad sidera tollere vultus.

I, 714 succubuisse oculos adopertaque lumina somno.

IX, 550 iunctior esse
 expetit et vinclo tecum proprio ligari.

Neque Valerius neque Statius usui Vergiliano propinquior est. ex Valerio unum, qui comparari possit, locum habeo:

Argon. IV, 333, 4 illius excelsum ramis caput armaque Castor
 implicat et viridi conectit tempora lauro.

ubi verba *conectit tempora* fere repetunt prioris partis verba *caput implicat*. Statium tam raro genere dicendi usum esse, quod Vergilio tam usitatum sit, ipse miratus sum. ex Thebaide unum verum huc referre possis

VIII, 173 abisse deos dilapsaque numina castris.

Videmus igitur Vergilium, ut in notionibus, sic in sententiis pluribus in unum coniungendis inter poetas, quos comparavimus, omnes excellere. atque notionum parataxi, quae est ἐν διὰ θροῶν, respondet parataxis sententiarum quam quasi ἐν διὰ θροῶν sententiarum dicere possis, qua duo enuntiata, quorum sententias alteram alteri subiectam esse dicas, aequo ordine coniunguntur, velut Aen. l. X, v. 264, quem locum modo explicavimus.

Recte Norden l. l. p. 372 dicit ea structura fieri. ut tot locis Vergilianis ordo sententiarum inveniatur, quem grammatici nominant ὕστερον πρότερον vel ὕστερολογίαν vel πρωθέστερον. nullo modo autem, quod Norden demonstrasse sibi videtur, quemquam posse demonstrare contendo Vergilium ad illum ordinem nonnumquam eo adductum esse, quod enuntiata Enniana in suum usum transtulerit. neque concedo, quod idem contendit

(p. 372), ordinem eum, ubi apud Vergilium inveniatur, plerumque certa ratione egere. immo etiam eis exemplis, quae Norden l. s. ipse contulit, optima ratio inest¹⁾. nimirum quod sententiae summam tenet ubique priore loco positum est, velut

Aen. II, 353 moriamur et in media arma ruamus.

scilicet Aeneas, cum de salute Troiae desperet, ipse mori paratus, ut mortem obeant, his verbis socios adhortatur. itaque postquam, quae sententiae summa est, dixit *moriamur*, addit, quomodo mors pulcherrima parari possit: *et in media arma ruamus*. sic Aeneam verbis suis maiorem vim dare quam si diceret: *media in arma ruamus et moriamur* quis est quin sentiat?²⁾ cetera quae eius rei exempla Norden l. s. contulit minime eadem ratione carere vel ex eo cognoscas, quod ipse alterum verbum participio mutans duas ubique sententias in unum ita comprimit, ut verbum posteriore loco positum participii forma usus reddat, velut Aen. II, 749 *ipse urbem repeto et cingor fulgentibus armis* (= cinctus repeto), V, 292 *invitat pretiis animos et praemia ponit* (= praemiis positus invitat), VII, 7 *tendit iter velis portumque relinquit* (= portu relicto tendit). neque aliter iudicandum est de locis, quos praeter collatos inveni eundem usum optime illustrantes:

Aen. II, 134 eripui, fateor, leto me et vincula rupi³⁾.

III, 289 linquere tum portus iubeo et considerare transtris, nonne eodem iure verba *linquere portus* priorem locum tenent atque apud Homerum⁴⁾ δ, 659:

μνηστῆρας δ' ἄμυδις κάθισαν καὶ παῦσαν ἀέθλων

1) vide Boldt: *de liberiore linguae Graecae et Latinae collocatione verborum capita selecta*, diss. Gott. 1884 p. 179.

2) idem sensisse grammaticos antiquos ex scholio ad hunc versum scripto apparet: *hystero-proteron quidem est; nam ante est in arma ruere et sic mori, bene tamen moriamur opportuniore loco posuit; ante enim dixerat quae sit rebus fortuna videtur*.

3) hysteron proteron esse scholiasta adnotat: *et est hysteron proteron; prius enim erat ut vincula rumperet, et sic fugeret*.

4) locum Homericum comparavi, quod Norden l. s. usum Homericum Vergiliano opposuit. similia ex Homero collecta optime indicavit Classen (*Beobachtungen über den Homerischen Sprachgebrauch* p. 200 ff.), ex quibus praeter versum supra adscriptum in primis compares (p. 30) αὐτὸς δ' εἶπεν ἔν καὶ ὑπέβη, λένων σῶδός.

verbum *πρῶτον* antecedit *πῶτον*? utroque loco res primaria priore loco posita est.

V, 130

unde reverti

scirent et longos ubi circumflectere cursus.

VI, 115 ut te supplex peterem et tua limina adirem

VI, 365

aut tu mihi terram

inice namque potes portusque require Velinos.

VI, 565 ipsa deum poenas docuit perque omnia duxit.

VIII, 611 talibus adfata est dictis seque obtulit ultro:

IX, 409 poeta fingit Nisum sic orantem:

hunc sine me turbare globum et rege tela per auras.

scil. primo loco dicentem, quid effici velit, altero, quomodo possit.

XII, 682 perque hostis, per tela ruit maestamque sororem

deserit ac rapido cursu media agmina rumpit,

per tela ruit, nempe relicta sorore. uno loco, quod sciam, altera pars causam addit:

VI, 359 ni gens crudelis madida cum veste gravatum

presantemque uncis manibus capita aspera montis

ferro invasisset praedamque ignara putasset,

scilicet Palinurum ferro invaserunt, quoniam putabant praedam esse.

Ubique videmus rem primariam priorem locum tenere, ut ratio plane appareat. nullo igitur modo hystorologiae causa dici debet, poetam alteram partem ex antiquiore poemate sumpsisse; id Nordeno ne eis quidem locis concedemus, quos alias ob causas etiam Ennio vindicare studuit. etenim, etiamsi profecto, quod Norden coniecit tantum propter synaloepham eo loco non saepe inventam, VI, 115

ut te supplex peterem et tua limina adirem,

verba *limina adirem* apud Ennium eodem loco versus fuerint, scilicet in fine posita, poeta indignum esset ea verba ita surripuisse, ut hystorologia fieret omni ratione carens. res eadem est atque ceteris locis, quos contulimus: summa rei inest verbis *ut te supplex peterem* et addita sunt, ut gravitas quaedam sermonis efficiatur, verba quibus, ut saepe, dicatur, quomodo: *et tua limina*

adivem. An aliter iudicandum est quod apud Homerum legimus :

ρ 30 ἀντὸς δ' εἴσω ἔεν καὶ ὑπέρβη λάωνον οὐδὸν?

altero loco, num hystherologia dicenda sit, maxime dubitari debet: VI, 184

nec non Aeneas opera inter talia primus
hortatur socios paribusque accingitur armis

nihil enim impedit, quominus Aeneam putemus primum socios adhortari, deinde eadem ipsum instrumenta accipere. de ceteris locis, quos a Nordeno notatos omisi, an hystherologia statuenda sit, aut valde dubium est aut negari debet. nam saepe, quo ordine res gestae enumerentur, nihil interest, velut

Aen. X, 36 quid repetam exustas Erycino in litore classis.

quid tempestatum regem ventosque furentes

Aeolia excitos aut actam nubibus Irim?

neque plus valet ordo VI, 750

scilicet immemores supera ut convexa revisant
rursus et incipiant in corpora velle reverti.

ubi duas res, quae secerni debent, Lethaeas aquas bibentibus fieri narratur, et oblivionem rerum antea gestarum et cupidinem in corpora revertendi. quod exemplum Nordenus l. c. ex Georgicis IV, 104 confert, mihi non videtur quadrare: *contemnuntque favos et frigida tecta relinquunt*, potius sic explicandum est: contemnunt favos, itaque tecta relinquunt. rarissime hystherologia, qualis in Aeneide saepe, in Georgicorum libris invenitur. unum comparare possumus

Georg. I, 456 non illa quisquam me nocte per altum

ire neque ab terra moveat convellere funem.

et III, 480 et genus omne neci pecudum dedit omne ferarum

corruptique lacus, infecit pabula tabe.

quo loco causa subiuncta est, scilicet corruptis pabulis et pecudes et ferae moriuntur¹⁾. exempla tria a Servio indicata ab Aeneidis locis paulo differunt:

I, 178 area cum primis ingenti aequanda cylindro

et vertenda manu et creta solidanda tenaci.

1) cf. quae Conington adnotat.

ita comparatus, ut plane appareat rem tempore priorem posteriore loco positam esse, neque tam saepe quam apud Vergilium fit, ut appositum sit quod, si sententiam spectamus, sententiae primariae subiectum sit, velut met. III, 368

tantum haec in fine loquendi
ingeminat voces auditaque verba reportat.

(= in fine voces ingeminat audita verba reportans)

XIV, 544 aeraque et tumidum subitis concursibus aequor
Astraei turbant et eunt in proelia fratres.

(= turbant in proelia euntes). haec tandem paulo propius ad hystorologiae formam accedunt:

VIII, 252 avemque
reddidit et medio velavit in aere pennis,

scil. eum pennis velavit et sic avem reddidit¹⁾.

XV, 415 vertitur in lapides et congelat aere facto,
556 sumere mox hominis terraeque amittere formam.
743 et finem specie caeleste resumpta
luctibus imposuit venitque saluifer urbi,

causa subnectitur XI, 472:

renovat lectusque locusque
Aleyonae lacrimas et, quae pars, admonet, absit.

nusquam, quod sciam, aliquid simile exstat Vergiliani: *moriatur et in media arma ruamus*. Valerii ne unum quidem locum huc referre possumus; ex Statio unum V, 494:

vaga litore furtim
incomitata sequor funestaque moenia linquo.

Cum hoc parataxeos usu apud Vergilium frequentato arte cohaerere videtur, quod non numquam verbum, quod cum verbo finito altero coniungendum est, priori additum est, ut species anacoluthi fiat²⁾. cuius rei clarum exemplum indicavit F. Leo in relationibus Gotting. anni 1898 p. 476. est versus Aen. VIII, 82 et q. s.:

1) verbis quae sunt *medio in aere* ἀπὸ τοῦ αἵματος positis duo verba finita scil. *avem reddidit* et *velavit* in unum coniunguntur.

2) vide Norden p. 372.

candida per silvam cum fetu concolor albo
 procubuit viridique in litore conspicitur sus.

quae verba si quis interpretatur *conspicitur per silvam sus in litore viridi recubans*, rem videlicet recte explicavit, poetae minime satisfecit. nam quod cum verbo *procubuit* coniungi potest *viridique in litore* alteri verbo appositum est, quod autem cum verbo *conspicitur* non coniungi nequit *per silvam* videtur verbo *procubuit* adiectum. quo fit, ut parataxeos forma servata duae partes sententiae in unum contrahantur. atque res haec est: post verba *candida per silvam cum fetu concolor albo*, cum verbum quale est *conspicitur* exspectemus, quasi abrupto sermone aliud verbum *procubuit* interpositum invenimus, ad quod audiendum tamen verba quae antecedunt *cum fetu concolor albo* iam animos praeparant. deinde nodus sententiae hoc modo intricatus in altera parte solvitur eo, ut quod alteri parti additum videmus scil. *viridique in litore* facilius ad *procubuit* referatur, et res tota verbo finito, quod sequitur, usque a verbis *per silvam* exspectato, scil. *conspicitur*, plane soluta sit. ut autem duarum illa partium confusio et inter se coniunctio artissima sit, subiectum *candida sus* totam sententiam quasi includit.

Alia ratione tamen simili inter verba cum verbo finito coniungenda et id ipsum verbum alterum verbum interpositum est:

Aen. II, 203 ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
 — horresco referens — immensis orbibus angues
 incumbunt pelago pariterque ad litora tendunt.

nullo enim modo coniungi potest: *a Tenedo tranquilla per alta incumbunt pelago*; neque tamen cum *Plüssio* (Vergil und die epische Kunst p. 61) post verbum *angues* fortius interpungendum est, quò fieret, ut verbum finitum desideraretur et supplendum esset. immo tota sententiae structura ea est, ut facile sentiatur in unum contrahendum esse *incumbunt pelago* et *pariterque ad litora tendunt*, vel potius $\delta:\acute{\alpha} \mu\acute{\epsilon}\sigma\sigma\upsilon$ ¹⁾, quod dicunt grammatici, positum esse *incumbunt pelago*. ut enim in versibus modo ex-

1) similia tantum nec tam arte quaesita e Graecis contulit nonnulla Wilamowitzius in Herculis volumine II, p. 58 editionis alterius, e Propertio notavit Lachmannus ad Prop. IV, 3.

plicatis (VIII, 82) post adiectivum *candida* subiectum, ad quod pertinet, et post verba *per silvam* verbum finitum expectatur, quocum coniungantur, ita hic adiectivum *gemini* et verba *tranquilla per alta* usque pendent, dum substantivo et verbo, quo referenda sunt, quasi excipiantur. eo autem hic locus ab eo qui est VIII, 82 differt, quod neque quod non ad alterum verbum referri nequeat, alteri adiectum est neque duo verba finita subiecto et adiectivo eo pertinente involvuntur. sed verbis per parenthesin interpositis *horresco referens* ordo iam ita deflexus est, ut minus offendat quod statim sequitur subiectum, quod post verbum finitum potius expectamus. denique cum post subiectum *angues* iam structuram a verbis *tranquilla per alta* inceptam continuari desideremus, animus verba versus sequentis

incumbunt pelago pariterque ad litora tendunt, .
in unum comprehendit, quasi sit *pelago incumbentes* ¹⁾. adverbium autem alteri verbo additum non minus apte etiam ad *incumbunt* refertur, quoniam motus similitudo describitur.

Nodus non tam arte intricatus est III, 576

liquefactaque saxa sub auras
cum gemitu glomerat fundoque exaestuatur imo.
primum *sub auras glomerare aliquid* vix dici posse contendo, quamquam Henry in Aeneideis ad h. l. demonstrare studuit *glomerare* esse *partem post partem mittere*. frustra vir doctissimus auxilium sibi quaerit ex Ovidii met. VI, 19

sive rudem primos lanam glomerabat in orbes;
quin falso sensum, quem sumit, inesse putat verbo Ovid. met. XIV, 212:

et frustra mero glomerata vomentem,
sic interpretatus: *piece after piece in quick succession and mixed with wine* neque *partem post partem* inest verbis Ovidianis neque *mixta* sensui satisfacit. sed *frustra mero glomerata* hic plane apparet esse *rino in glebulas coacta* ²⁾. ubique est *glomerare* = in

1) imitatur Valerius Fl. II, 503

illam incumbentem per mille volumina pontus
prosequitur lateri adsultans.

2) Sil. Ital. XII, 517: *glomerant gressus* Henry interpretatur *to take step after step*: est potius quasi glomerationem gressuum facere.

glomus cogere, neque aliter accipiendum, quem locum comparat Henry, *glomerare manum* (Verg. Aen. II, 315) sive *agmina glomerare* (IV, 155)¹. ergo verba hoc volunt: *liquefacta saxa cum gemitu in glebas cogunt*. neque scirem, quid sibi vellet *cum gemitu*, si *glomerare* coniungendum esse putarem cum verbis *sub auras*; gemitus enim eruptionem antecedere et novimus et Laetius dicit I, 722 sq.

et hic Aetnaea minantur .

murmura flammaram rursum se colligere iras

faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignis,

quae Giussani recte interpretatur verbis: *ora siamo boati, tra poco saremo eruzione. sub auras ad exaestuat* pertinet et *fundo imo ad glomerat* quoque referendum est. ordine similiter confuso atque deprehendimus v. II, 204 factum esse, verba sic interpretari possumus: *liquefacta saxa cum gemitu glomerata fundo imo exaestuat*.

Alius rationis sunt, tamen quae huc pertinere dicas, quoniam loquimur de locis quibus praeter expectationem aliquid insertum sit, quod parataxeos forma ommissa non nisi pluribus verbis possimus interpretari,

Aen. VII, 444

bella viri pacemque gerent², quis bella gerenda.

sunt ultima verba Turni quibus Allecto eum ad bellum Troianis inferendum adhortata repudiatur. de his verbis multi viri docti multa disputaverunt, quorum alteri Heumannus, Heynius verba *quis bella gerenda* putabant reicienda esse, alteri, in quibus Coningtonus, locum putant ut imperfectum esse relictum. immo arte eximia usus Vergilius hunc versum confecit; scilicet cum post id quod est *bella viri* nihil desideremus nisi *gerent*, interpositum invenimus *pacemque*. *pacem gerere* autem nemo dicere potest nisi

1) *glomerare a glomus*, de qua voce Festus hoc habet: *in sacris crustulum cybii figura et oleo coctum appellatur*. itaque *glomer*— dici potest quidquid in glebam coactum est, ut Lucr. I, 359 *in lanae glomere*; Plin. n. h. XXXVI, 13 *lini*.

2) futuri temporis formam in codd. FR scriptam contra Mediceum, qui habet coniunctivi *gerant*, tuendam esse probat versus similis Homeri II, VI, 492 *πόμενος δ' ἄνδρεςσι μέλιθει* et sensus, quod fortius dictum est *gerent* quam *gerant*.

per zeugma subiuncto bello, ut Sallust. Iug. 16 *pacem an bellum gerens perniciosior esset*, Verg. Aen. IX, 279 *seu pacem seu bella geram*, ut ex *gerent* verbo, quod ad *bellum* obiectum quadrat, verbum aliquod simile tantum ad *pacem* subaudiatur. sed hoc loco verba quae sunt *bella gerent* tantopere praevalet, ut quae post alterum obiectum *pacemque gerent* sequuntur, scil. *quis bella gerenda*, ad vocem *bella* reducant, ita tamen, ut una voce *pacem* interposita Turnus simul indicet, se nequaquam decrevisse, utrum bellum an pacem sumeret. sententia eo modo effecta haec est: quid tibi cum bello? viris bellum gerendum est et gerent, cum videbitur, ut pacem servabunt, cum placebit.

His subiungam IX, 16

adgnovit iuvenis || duplicisque ad sidera palmas
sustulit ac tali || fugientem est voce secutus.

ad verbum *adgnovit* scholion iure desiderat obiectum quod dicunt; sed non ut scholion dicimus *deest eam*. sed putamus *fugientem* retrahendum esse etiam ad verbum *adgnovit*, quamquam interposita est altera sententia *duplicisque ad sidera palmas sustulit*; h. e. *fugientem ἀπὸ ζωνῶν* positum est et verba *dupl. . . . sustulit διὰ μέσσω* collocata sunt. quo autem facilius audiatur *fugientem* etiam ad primam sententiarum partem pertinere caesura primaria prioris versus post *iuvenis* et alterius ante *fugientem* facta est ¹⁾. itaque totum locum interpretamur: iuvenis fugientem adgnovit et duplices palmas ad sidera tollens tali voce secutus est ²⁾.

Liberior autem illa structura, quam in locis modo explicatis illustravi, inter ea est, quae non tam ratione certa poetica con-

1) caesura in his quantum valeat, ex eis quae infra disputabo cognoscas. *fugientem* alteri parti adiectum videtur propter verbum, quocum optime coniungitur scil. *secutus*.

2) non huc pertinere mihi videtur locus, quem Norden simili modo explicandum esse putat V, 731

Ditis tamen ante

infernās accede domos et Averna per alta
congressus pete nate meos,

ut enim Cicero dicere potuit: *per Macedoniam Cyzicum petebamus* (ad Div. XIV, 4) Vergilius *Averna per alta congressus pete nate meos*. id unum in eis audacter dictum est, quod *congressus meos* pro *congrredi mecum* dicitur. in ipsa structura verborum *congressus meos pete* quod offendat non inest.

fecta dicas quam ingenio poetae concepta esse et quae, si quis ut plerumque fieri solet ad doctrinam grammaticam tantum quasi metiatur, nunquam intellegat. neque talia audet nisi poeta, qui nomine eo dignus est. plane similia apud alios poetas ¹⁾, cum talia non sint inter imitabilia, frustra quaeres, apud Ovidium ut eius stilo haud satis apta ne expectabis quidem. huic generi dicendi cognata quaedam infra indicabo.

Caput III.

De figura ἀπὸ κοινοῦ.

De figura, ἀπὸ κοινοῦ vel κατὰ κοινόν quam grammatici veteres vocant, Graecis et Latinis usitata cum multi scripserint ²⁾, tamen de eius apud Vergilium usu disserere non omitam, quod nonnumquam, ubi ea figura invenitur, vis eius ac ratio interpretes fefellit et etiam in usu eius poeta proprii aliquid habet.

Antiqui cum figuram ἀπὸ κοινοῦ ubique statuere soliti sint, quibus locis verbum aliquod ad duo verba pertinens alteri sive posteriore loco sive priore posito adiectum est, nos eam speciem tantum α. ζ. appellare consuevimus, qua verbum aliquod ad duo enuntiata pertinens alteri eique posteriore loco posito additum sit.

Ac primum in universum duo genera eius figurae discernere licet, unam, quam quodam iure rhetoricam dicas, quae cum anaphorae forma coniuncta esse solet, alteram, quae fit in enuntiatis particula copulativa coniunctis. figura ἀπὸ κοινοῦ coniuncta cum anaphora efficere solet, ut affectus sermonis augeatur, velut Aen. IX, 399 :

qua vi iuvenem, quibus audeat armis
eripere,

XII, 32 ex illo, qui me casus, quae Turne sequantur
bella, vides.

1) cf. p. 29 adn.

2) in primis inspicias Boldt l. i. p. 69 sq. et Leo, Anal. Plaut. I. cf. etiam Wilamowitz Hercul. II p. 62.

nibi praeter verbum etiam vocativus *Turne* alteri demum sententiae adiectus est.

VI, 670 quae regio Anchisen, quis habet locus,

VII, 38 nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum
quis Latio antiquo fuerit status.

rhetoricum hunc figurae usum dixi, quod pronomibus interrogativis repetitis vis quaedam maior interrogationi additur. simile quiddam repetitione particulae temporalis fit Aen. IX, 12

nunc tempus equos, nunc poscere currus ¹⁾.

vel particulae negativae ut Aen. VIII, 298

nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus.

V, 783 quam nec longa dies pietas nec mitigat ulla.

VII, 692 quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro.

et cum verbo pronomem demonstrativum retrahendum est V, 646:

non Beroe vobis, non haec Rhoeteia, matres,
est Dorycli coniunx.

nomen numerale repetitum est VII, 538:

quinque greges illi balantum, quina redibant
armenta.

quibus omnibus locis vox repetita, sive interrogativa sive temporalis sive negativa est, fortiolem sonum accipit. repetitio non eandem vim habet locis, qui tamen comparari possunt:

IX, 702

tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum;
pronomine relativo iterato:

VIII, 434 quibus (scil. rotis) ille viros, quibus excitat urbes.

X, 167 qui moenia Clusi

quique urbem liquere Cosas.

horum autem omnium cum commune sit ut verbum finitum retrahendum sit, perpaucis locis nomen α . χ . positum cum simili anaphorae specie coniunctum est. huc trahere licet X, 51:

1) nonnumquam verbum, de quo duo infinitivi pendent, alteri adiectum est. cf. VI, 147. VII, 126. I, 63. V, 26 locosque alios multos, e quibus huc afferendus est v. X, 888 *inde ubi tot traxisse moras, tot spicula taedet vellere*, . . . aliud est, ut infinitivus ad duo verba pertinens alteri appositus sit, cuius rei exempla quaedam congescit Leo l. l. p. 336, adn. 2.

est Amathus, est celsa mihi Paphus atque Cytbera,
et suam vim, adiectivum si retrahitur, haec verba accipiunt:

II, 535 at tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
in quibus, nisi *tali* ex verbis quae sequuntur *pro talibus ausis*
ad vocem q. e. *scelere* retrahitur, elumbis fit oratio geneti-
vus α. ζ. positus est post alterum demonstrativum:

XII, 572 hoc caput, o cives, haec belli summa nefandi.

Praepositio ἀπὸ ζούσης posita apud Vergilium fere non in-
venitur nisi genere anaphorae aliquo coniuncto¹⁾, quo idem atque
supra indicavi fit, ut nomen repetitum affectum quandam praebeat.
ita VII, 296:

medias acies mediosque per ignes.

VI, 692 quas ego te terras et quanta per aequora vectum
accipio.

IX, 427 me, me, adsum qui feci, in me convertite ferrum.
neque hoc loco indicare omittam verba, ad quae explicanda infra
redibimus²⁾, huc pertinentia

VIII, 143 his fretus non legatos neque prima per artem
temptamenta tui pepigi.

in quibus ordo est: *non per legatos neque per artem* simi-
lem rationem inesse grammatici quidam antiqui videntur accepisse
loco etiam ab editoribus novellis temptato, quem dubitanter qui-
dem adscribam:

VII, 543 desierit Hesperiam et caeli convexa³⁾ per auras
Iunonem viatrix adfatur voce superba,

lectionem enim codicis M 'conversa' fere omnes editores rece-
perunt praeter Heynium et Ribbeckium, qui post versum 543
aliquid omissum esse putabat. atque verba *caeli convexa per auras*

1) sine anaphora:

Aen. II, 654 inceptoque et sedibus haeret in isdem.

V, 512 illa notos atque atra volans in nubila fugit.

2) cf. p. 79.

3) *convexa* traditum est in omnibus codd. praeter M, qui habet
conversa, sed superscripto x. quam lectionem si quis accipit, quin pro
caeli cum Schapero scribat *caelo* facere non potest, quoniam *caeli auras*
homo Latinus vix umquam dixit, sed iterum atque iterum dici debet
nos ipsa verba Vergilii habere, ubi scholia eadem praebent auctoritate
Probi et Asperi confirmata.

quid sibi velint, etiam grammaticos antiquos interrogasse ex Servii scholiis discimus: *Probus, Asper, Donatus dicunt hoc loco 'per' bis accipiendum, ut adloquitur Iunonem per caeli convexa et per auras*¹⁾. e quibus verisimile fit Vergilium ipsum scripsisse *convexa*. de scriptura quae est codicis M *conversa* Servius ne verbum quidem facit. interpretatio autem, quam Probi et Asperi fuisse testatur, mihi non tam inepta videtur esse quam aliis. cum enim poeta verbis quae sunt *rictric* et *voce superba* Allecto describeret quasi triumphantem. simile quiddam exprimere potuit iteratione quae inest verbis: (per) *caeli convexa*²⁾, *per auras*; ostendunt enim Allecto iam longe, quamvis longo spatio ab ea dirimatur, Iunonem allocutam esse.

Hoc autem genus figurae ἀπὸ κωνῶν. ut alto stilo epico maxime aptum est, etiam in Georgicis nec non et eclogis invenitur. conferri possunt ex eclogis:

1) Servius ita pergit: *potest tamen esse epexegetis 'per auras' id est 'caeli convexa', nec enim aliud sunt auras. et addit: dicit etiam quidam commentarius — Firmianus — 'consecta' legendum, ut sit ipsa consecta, quod difficile in exemplaribus invenitur.*

2) *caeli convexa* pro caelo dictum est etiam Aen. IV, 451 *taedet caeli convexa tueri*. eodem sensu aliis locis usurpatum est *supera convexa*: X, 251 *tum brevis supra aspectans convexa praecatur (supera aspectans codd. Ribbeckiani R. b. c., super aspectans Mγ)* et VI, 241 *supera ad convexa ferebat (F M² P²: super M R P)*, VI, 750 *supera ut convexa revisant (RF²M², supera aut F¹, superant P)*. nescio, cur etiam Norden cum Ribbeckio maluerit *super*. an *convexa* pro eo quod est caelum dici possit, valde dubito. sed dici potest *in convexo nemorum* (Aen. I, 310, cf. Servium) et *convexa caeli* (IV, 451), quod Servius interpretatur *incurva caeli*. coniunctionem autem verborum, quae est 'supera convexa'. Seneca quoque usurpavit in Phaedrae v. 220 (ed. Leo)

numquam amplius

convexa tetigit supera, qui mersus semel
adiit silentem nocte perpetua domum.

hic quidem *convexa supera* plane dictum est ad exemplar versus Aen. VI, 750. itaque ego ne dubito quidem praeferre lectionem codicum paucorum *supera*. praesertim cum codices in talibus facillime a vero aberrent propter sequentem vocalem a. ad Vergilii exemplar *consecta* sunt etiam haec Stätiana: Theb. X, 916 *supera ad convexa levare* et XII, 76 *superum convexa*.

V, 63 ipsae iam carmina rupes,
ipsa sonant arbusta.

huc etiam pertinet locus a Leone nuper illustratus in Hermae
vol. XXXVIII, p. 8 :

ecl. I, v: 40 neque servitio me exire licebat
nec tam praesentes alibi cognoscere divos.

quae verba qui viri docti interpretari conati erant, omnes verum
fefellerat, cum *alibi* etiam ad verba antecedentia: *neque servitio*
(scil. *alibi*) *me exire*, retrahendum esse non cognoscerent, ex
Georgicis huc trahi possunt:

II, 323 ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis.

III, 112 tantus amor laudum, tanta est victoria curae.

II, 158 an mare, quod supra, memorem, quodque alluit infra?

qui versus in Aeneide fere repetitus est VIII, 149

et mare quod supra, teneant, quodque alluit infra

Sed verbum *z. z.* positum tam saepe invenitur, ut plura indicare
omittam; unum locum adiungam, quo praepositio duobus nomi-
nibus communis alteri adiecta est, g. III, 277:

diffugiunt non, Eure, tuos neque solis ad ortus.

sine anaphora, ita tamen ut vel ex ordine appareat praepositionem
esse retrahendam, est g. II, 63:

sed truncis oleae melius, propagine vites
respondent, solidae Paphiae de robore myrtus.

Ex eis, quae Leo l. l. conguessit, cognosceas, ea compositio
verborum, scilicet ut figura ἀπὸ τοῦτοῦ cum anaphora coniuncta
sit, quam saepe non solum apud poetas recentiores sed etiam
antiquissimos et sermoni cottidiano propiores ut apud Plautum
usitata sit, quin etiam ne ab oratione pedestri quidem abhorreat.
ne autem nube locorum ex Lucretio, Ovidio, Valerio, Statio col-
lectorum coacta in re per se dilucida laborare videar, de praepo-
sitione tantum ἀπὸ τοῦτοῦ posita, quae habeam, indicabo. atque
cum apud Vergilium praepositioni *z. z.* positae, ut vidimus, ana-
phorae species aliqua accedere soleat, quo facilius sentiatur prae-

VIII, 384 iamque hos clipeum, iam vertit ad illos.

IX, 801 non tulit Amphion vultumque et in ora loquentis
telum immane rotat.

et Vergilianum illud *medias acies mediosque per ignes* vidimus,
quomodo in suum usum verterit X, 714:

i, Danaas acies mediosque per obvius enses,

Sententiae igitur forma anaphorae inter se coniunctae facile figuram ἀπὸ κοινῶς patiuntur; sed quaeritur, num etiam in ceteris non paucis eius apud Vergilium exemplis certa ratio ostendi possit. atque in capite I vidimus, quantopere Vergilius amet, quae una notione iam plane expresserit, altera adiecta exornare vel describere, ut duae notiones quasi in unam confundendae sint. quid igitur mirum, quod in tali compositione verborum saepe fit, ut verbum aliquod ad duo nomina pertinens alteri demum adiectum sit? ita quidem verba inter se conexuit Aen. V, 410:

quid si quis caestus ipsius et Herculis arma
vidisset?

ubi Servius annotat: '*arma id est caestus*'; et epexegesin in altera parte adiungi dicere licet

II, 412 oriturque miserrima caedes
armorum facie et Graiarum errore iubarum.

nam, quod *caedes armorum facie oritur* vix dici potest, quae sit res, manifestum fit verbis additis *et Graiarum errore iubarum*, scilicet caedes oritur errore, quem facies armorum (Graiorum) et iubarum Graiarum monet. neque in unum comprehendi nequeunt verba *gemitu atque ira* II, 413:

tum Danaï gemitu atque ereptae virginis ira
undique collecti invadunt.

simplicius his locutus est:

XI, 15 haec sunt spolia et de rege superbo
primitiae.

XI, 790 non exuvias pulsaeve tropaeum
virginis aut spolia ulla peto.

XI, 477 nec non ad templum summasque ad Palladis arces
subvehitur.

VII, 701 sonat amnis et Asia longe
pulsa palus.

saepe id ipsum adiectivum, cui fortior sonus inest, ἀπὸ κοινοῦ positum est. his quidem verbis:

VIII, 588 in medio chlamyde et pictis conspectus in armis *chlamyde conspectus*¹⁾ inane est nisi ex adiectivo *pictis* retrahitur *picta*. et VIII, 57

ipse ego te ripis et recto flumine ducam
adiectivum *recto* quasi duplicatur duobus nominibus substantivis ei additis, ut sit *rectis ripis et recto flumine te ducam*.²⁾

XI, 398 inclusus muris hostilem aggere saeptus

VI, 809 nosco crinis incanaeque menta

regis Romani.

eo enim cognoscit illum regem Romanum esse, quod incana sunt eius menta et crinis.

IV, 588 litoraue et vacuos sensit sine remige portus.

V, 357 et simul his dictis faciem ostentabat et udo
turpia membra fimo.

id est *faciem et membra fimo turpia*. neque alia est res loco, de quo multi disputaverunt:

II, 422 primi clipeos mentitaque tela

agnoscunt.

ex quo loco a Ribbeckio etiam coniectura corrupto cognoscas, quam facile figura ea non intellegatur. atque his verbis Rib-

1) *conspectus* videtur esse dictum pro participio passivi praesentis, quod Latinos defecit. multa huius usus exempla et apud alios poetas et praecipue apud Vergilium inveniuntur, velut Aen. V, 49: (*dies*) *quem semper acerbum. semper honoratum. . . habeo*; saepissime in talibus: (Aen. I, 481) *et tunsae pectora palmis*, XI, 694 *Orsilochum fugiens magnamque agitata per orbem eludit gyro*. IX, 565 *quaesitum aut matri multis balatibus agnum*, quae Servius recte explicat: *qui requiritur; nam praesens a passivo non habuit*. cf. quae dixit Leo in Hermae vol. XXXVIII, p. 10, adn. 1 ad eclog. I v. 53: nonnulla etiam contulit Draeger p. 776sq. quae huc pertinentia collegi, hoc loco edere propter numerum non licet; sed res digna est quaestione peculiari.

2) Wagner confert VI, 900

tum se ad Caietae recto fert litore portum.

quae sententia verbis *recto litore* vel *recto flumine* insit, optime etiam ex Theb. V, 472 cognoscitur, quo loco Hypsipyle quæsta fingitur:

O utinam iam tunc mea litora rectis
praetervectus aquis, cui non sua pignora cordi,
non promissa fides.

beekius dicit se offendi, quod minime dici possit, quid sibi velit *primi*; itaque in editionem recepit coniecturam suam *Priami clipeos*, quam unius codicis P scriptura PRI . . . MI firmari putat, et nimis argute interpretatur: agnoscunt mentita arma, clipeos et tela non Graecorum sed Priami Troianorumque esse. at *primi* quid sibi velit, ex eis, quae antecedunt, facile intellegitur, namque versu 420 legimus:

illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
 fudimus insidiis totaque agitavimus urbe,
 apparent; primi

nempe ei, quos modo fraude sua et tenebris tecti (cf. 396—401) sectabantur, nunc primi eos agnoscunt, scilicet ipsi experti illos non Graecorum, sed Troianorum partes defendere. re vera autem interpretes non tam in verbo *primi* videntur laborasse quam eo quod ad clipeos adiectivum quoddam vel genitivum desiderabant; itaque de voce *clipeos* explicanda omnes tacent. unus Henricus Aen. I p. 212 recte interpretatur: *mentitos clipeos et mentita tela*, sic autem iam grammaticos antiquos explicasse cognoscitur ex scholiis Servianis, quibus hoc invenimus adnotatum: *mentitaque tela: verbo communi: hoc est quae nos Graecos esse mentiebantur*, nam quod dicit *verbo communi* ad nihil referri potest nisi ad *mentita*; et scholion videtur esse vetustissimum, quod qui nobis tradidit, ne ipse quidem videtur intellexisse, quid sibi vellet, sed etiam novelli Vergilii interpretes de his Servianis ne verbum quidem faciunt.

Cum id genus figurae compositio verborum, Vergilianam quam esse capite primo docuimus, secum trahat, expectabimus fore, ut apud alios multo rarius inveniatur¹⁾. neque — quod eadem ratione habita probatur — hoc genus dicendi ipse Vergilius in Georgicis tam saepe adhibuit. ex Georgicis adscribere possum IV, 481

quin ipsae stupere domus atque intima leti
 Tartara.

1) eum usum ne a sermone pedestri quidem plane abhorre ex his multo sane simplicioribus verbis Ciceronis a Leone p. 11 comparatis discas (de leg. agr. II, 95) *ex hac copia atque omnium rerum affluentia, alia invenies apud Leonem l. I. p. 9.*

intima enim ad domus referri potest et genctivus *leti* non retrahi nequit¹⁾. ex Lucretio unum habeo, quod huc pertineat: VI, 300 sq.

fit quoque, ut interdum venti vis missa sine igni
ignisecat tamen in spatio longoque meatu.

apud Ovidium unum tantum metamorphoseon locum deprehendi, quibus adiectivum ad duo nomina pertinens alteri demum adiectum sit, ita quidem, ut ei sonus fortissimus insit:

met. XI, 637 adicit et vestes et consuetissima cuique
verba.

huic dictioni simile quiddam Lucanus habet

Lucanus habet II, 170:

caesi deformia fratris

ora rogo cupidum vetitisque imponere flaminis.

adiectivo *α. ζ.* posito saepissime apud Valerium²⁾ sonus efficitur:

Arg. I, 634 magnanimus spectat pharetras et inutile robur
Amphitryoniades.

I, 800 classes et Pontica signa,

IV, 621 sed te non animis nec solis viribus aequom
credere

743 odium quibus atque eadem ira furentis
Bebryciae.

V, 194 per genus atque pares tecum mihi Phrixae labores,

VIII, 392 an vero ut thalamis raptisque indulgeat unus
coniugiis?

genctivus duobus nominibus communis est:

1) num g. II, 438,9:

iuvat arva videre

non rastris, hominum non ulli obnoxia curae.

genctivus *hominum* ad rastris retrahendus sit, dubito. sed adiectivum revera *ἀπὸ τοῦ ἔργου* alteri substantivo adiectum est catal. V, 5: *valent, valent mihi ira et antiquus furor.*

2) non retinebo praeclarum *α. ζ.* figurae exemplum, quacum anaphora coniuncta sit, quod est:

Val. Fl. IV, 217 fuga sub terras, fuga nulla per auras.

pulchra etiam huius figurae species est:

V, 247 tua nunc terris, tua lumina toto
sparge mari.

ubi in priore parte ad *tua* ex altera parte *lumina* et ad *terris* ex *toto* adiectivum *totis* retrahendum est.

III, 264 ceu pavet ad crines et tristia Pentheos ora
Thyias

V, 219 ventum ad furias infandaque natae
foedera

V, 643 est amor et rerum cunctis tutela suarum. 1)

huius figurae tantam frequentiam apud Valerium inventam miramur, si comparaverimus exempla Statiana pro versuum numero multo pauciora:

Theb. V, 522 stagna per arentesque lacus fontesque repressos,

IX, 621 tela puer lacrimis et prima voce poposcit.

V, 330 sic ubi ductorem trepidae stabulique maritum
. stupere iuvencae.

XII, 6 quamvis tunc otia tandem
et primus post bella sopor.

XII, 286 saepe gradu caeco ferrum calcataque tela
dissimulat.

Cum haec ἀπὸ κενῶς figura praecipue apud Vergilium cum ea compositione verborum, de qua in capite I scripsimus, cohaereat, ex simili sententiarum abundantia, de qua capite altero actum est, alia species figurae α. ζ. evadit. ubique enim, quibus locis nomen aliquod, ad duo verba quod pertinet, alteri demum appositum est, fit ut duo ea verba artiore nodo inter se nectantur et fere ἐν δὲ δὲ δὲ verborum fieri dicas. quam saepe eius generis figura coniecturis corrumpatur, cognosceas ex loco, de quo disseruit Leo l. s. p. 28:

Aen. III, 659 trunca manu pinus regit et vestigia firmat.

quem versum iam antiquitus figura privatum esse in exemplaribus quidem eis quae non ad exemplar Probi grammatici emendata erant, docet nos Quintilianus, qui inst. or. VIII, 4. 25 ut absolutam sententiam praebet artificii, de quo agit, exemplum, ut solet, Vergilianum: *trunca manum pinus regit*. atque apud Vergilium raro fit, ut hoc modo duo verba fere synonyma coniungantur, velut

VII, 434 sentiat et tandem Turnum experiatur in armis.

1) figurae forma lenior fit substantivo in fine posito VI, 474:
et metus et demens alieni cura pericli.

IV, 291

quando optima Dido

nesciat et tantos rumpi non speret amores.

est potius ea dictio abundantiae sermonis Lucretiani aptior ¹⁾).

Multo saepius accidit, ut duo verba, quorum alteri obiectum vel adverbium ad utrumque pertinens additum sit, non unam rem significant, sed duas res gestas indicent, quarum altera alteram secuta sit, tamen ne in eis quidem ratio quaedam desideratur, in capite secundo vidimus quantopere Vergilius parataxin praetulerit hypotaxi, non dico, ubicumque obiectum, ad duo verba quod pertineat, alteri demum accedat, ea verba, cum *παρατακτικῶς* inter se coniuncta sint, sententiam si spectemus, alterum alteri esse subiectum; sed negari nequit eo, quod nomen aliquod etiam ad prius verbum desideratur, duo verba artius inter se coniecti, velut ubi obiectum retrahendum est, Aen. IV, 391:

suscipiunt famulae conlapsaque membra
marmoreo referunt thalamo stratisque reponunt.

nam verba *suscipiunt famulae* per se stare nequeunt, cum nondum dictum sit Didonem esse collapsam, sed in eis quae antecedunt acceperimus tantum eam Aenean fugisse, ergo obiectum, quod est alteri verbo *reponunt* praemissum, multo magis etiam ad *suscipiunt* desideramus, et sermone pedestri sic vertendum est: eius conlapsa membra famulae suscipiunt et . . . reponunt, vel potius: suscepta reponunt, dubitare licet, num similiter intellegendum sit VIII, 474:

hinc Rutulus premit et murum circumsonat armis.

sed commendat eam interpretationem quod verbis, quae antecedunt (*hinc Tusco claudimur anni*), fit, ut expectetur aliquid *anni* respondens, quod est *murum*, artior etiam fit conexus duorum verborum his locis:

X, 685

ter maxima Iuno

continuit iuvenemque animi miserata repressit.

XI, 481

succedunt matres et templum ture vaporant.

lepidiore etiam artificio ornatus est versus V, 867:

1) ex scriptoribus pedestribus unum locum a Leone l. l. p. 9 comparatum adscribam Sall. cat. 35 *nunc Orestillam commendo tuacque fidei trado*, ubi Vaticanus *tibi commendo*.

cum pater amisso fluitantem errare magistro
sensit et ipse ratem nocturnis rexit in undis.

scilicet hoc voluit poeta: iam in eo est ut summum periculum navi instet, cum ipse Aeneas *ratem*, quam *amisso magistro errare sensit*, *rexit*; atque accusativo ex sequentibus retrahendo verba *sensit* et *rexit* ita in unum fere coniungit, ut celeritas actionis describatur. nonnumquam etiam fit, ut obiectum ex nomine alius casus retrahendum sit, ut XI, 670 sq.:

quorum alter habenas
suffosso revolutus equo dum colligit, alter
dum subit ac dextram labenti tendit inermem.

nec non dativus invenitur ἀπὸ κρινοῦ positus:

VI, 410 caeruleam advertit puppim ripaeque propinquat.

VIII, 101 ocius advertunt proras urbi que propinquant

etiam notio alia ratione verbis addita et ἀπὸ κρινοῦ posita primo obtutu facile fallit, velut IX, 146

sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum
apparat et mecum invadit trepidantia castra?

III, 332 excipit incautum patriasque obruncat ad aras

I, 97 Tydide! mene Iliacis occumbere campis

non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra.

ubi *Tydide* advocatio praefixa efficit, ut ad priorem sententiae partem ablativus *tua dextra* retrahatur necesse sit.

De uno loco ex quo ars Vergiliana optime intellegatur, paulo explicatius loqui mihi liceat. sunt versus Aeneidis V, 325/6 ab editoribus multis coniectura corrupti:

spatia et si plura supersint,
transeat elapsus prior ambiguumque relinquat.

(*ambiguum que* codices omnes, *ambiguumve* codd. Heinsiani, Bentley, Heyne-Wagner, Forbiger, Ribbeck, Gossrau, Thilo, Deuticke, alii). atque plurimi editores scripserunt *ambiguumve*, ut hic versus Homeri redderet Il. XXIII, 382:

καὶ νό κεν ἢ παρέλασσε ἢ ἀμφήριστον ἔθρηκεν.

sed primum valde dubito, num poeta pro Graeco illo: ἀμφήριστον ἔθρηκεν dicere potuerit *ambiguum relinquat*. nullo enim modo *ambiguum relinquat* idem esse potest atque *ambiguum reddat*.

iunio qui aliquem praeterit. is eum relinquit¹⁾, itaque iam ex his ipsis verbis apparet *ambiguumque relinquit* idem fere valere quod verbis antecedentibus dicitur; atque Vergilius in animo habuisse videtur versus Il. XXIII, 526 sq.:

εἰ δὲ κ' ἔτι προτέρω γένετο ὀρόμος ἀμροτέρουσιν,

τῷ κέν μιν παρέλασσε σὺδ' ἀμφίριστον ἔδιγχευ.

recte igitur Conington et Henry traditum servant et *ambiguum*²⁾ adiectivum esse contendunt, scilicet quod ad Helimum pertineat, tamen non viderunt duas sententias, quae sunt *transeat elapsus prior ambiguumque relinquit*, ita inter se conexas atque confusas esse, ut *ambiguum* ad *transeat*, quod est prioris sententiae verbum, ex altera retrahendum sit. nam et ipsum verbum *transeat* obiectum flagitat neque *prior* quid sibi velit intellegitur nisi retracto *ambiguum*; scilicet prior transit alteruter ex duobus, qui pari linea currere dicantur i. e. ambigui sint. ergo *prior* ad Diorem, *ambiguum* ad Helimum pertinens efficit, ut pari passu currere dicantur et simul *ambiguum* recte intellegatur. haec igitur sententia est: Diorem *ambiguum transeat* (Helimum) *prior* (ex duobus ambiguis) elapsus et relinquit.

Rarius fit, ut notio aliqua *α. κ.* posita sit in sententiis, quarum verba non ab eodem subiecto dependeant, ut III. 448 sq.:

verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus
impulit et teneras turbavit ianna frondes,
numquam deinde cavo volitantia prendere saxo
nec revocare situs aut iungere carmina curat.
inconsulti abeunt sedemque odere Sibyllae.

1) *relinquere* eodem sensu usurpatur Ov. met. I, 538 *et ipsis morsibus eripitur tangen' itaque ora relinquit*, cf. ib. X. 662 et 670. Stat. Theb. VI, 263 *et voluceri iam iamque relinquitur axe*, VI, 323 *vincere vel solo cupiunt a fratre relinqui*.

2) ambiguus sane is dici potest, qui est in ambiguo, ut his locis ab Henrio comparatis:

Coripp. Iohann. I, 538 ut celer incautum rubiens exterreat hostem
ambiguumque premat.

ib. II, 295 ut obicibus pugnantes implicet hostes
ambiguosque premat.

et Aen. V, 654 at matres primo ancipites oculisque malignis
ambiguae spectare rates miserum inter amorem
praesentis terrae fatisque vocantia regna.

in quibus verbis explicandis multi dubitant. utrum verbum *eadem* (v. 448) Sibyllam significet an ad *carmina* pertineat et sit accusativus, qui a verbo *impulit* dependeat. neque enim cognosci solet *teneras frondes ἀπὸ βοῆς* positum etiam ad *impulit* pertinere nam siquis *eadem* accusativum esse et pronomen quod antecedit *illa* repetere existimet, equidem in sententia primaria subiectum desiderem. quod autem gravius est: observari debet poetam Sibyllae neglegentiam describere, quae folia antea diligentissime ordinata et servata (et. v. 445 sq.), postquam vento turbata sint, ne colligat quidem. itaque *eadem* ad Sibyllam referatur necesse est. hic igitur ordo est: *eadem* cum ventus *teneras frondes* *impulit* et *ianna* eas, turbavit est autem levior forma ἀπὸ βοῆς figuræ, qua nisi adiectivum enuntiati ἀπὸ βοῆς positi (*teneras*) praemissum esset, nulla fere difficultas exstaret, quoniam substantivum ipsum in fine alterius sententiae positum est. alter locus, de quo non minus novelli interpretes disputare solent quam in eo haerebant grammatici antiqui, est Aen. II, 309 :

tum vero manifesta fides Danaumque patescunt
insidiae.

in his quid sit *manifesta fides*, viri docti alii aliter explicare conati sunt, nec non et grammaticos veteres in eis verbis laborasse docent scholia ad hunc versum tradita Serviana: *manifesta fides: non somnii ut quidam volunt, sed fraudis Graecorum: nam et hoc sequitur 'Danaumque patescunt insidiae'*. quibus verbis in scholiis opposita haec explicatio addita est: *quamvis alii hoc ad Laocoontis interitum, alii ad responsa Cassandrae applicent*. atque ineptum est, si quis cum scholiis explicat: *manifesta fides vaticiniorum*, quae Laocoon et Cassandra ediderant, neque minus ineptum esse mihi quidem videtur, quod alii, ut ex Servianis comperimus, interpretati sunt: *tum vero manifesta fides somnii*, quod si dicere volebat, hoc poetae addendum erat, praesertim cum verbis inter somnii enarrationem et hunc versum interpositis indicari videatur Aeneam iam de somnio illo ne cogitare quidem. immo cum de summo tecto urbem prospiciens, ut alio loco dicit, *insidiis periurique arte Sinonis* proditam incendio et armis vidit turbatam, nihil cogitat nisi Troiam perfidia Graeca quam misere perire. hoc est, quod dicere volunt verba quae sequuntur: *tum vero manifesta*

fides Danaumque patescunt insidiae. Ne multa verba de falsis explicationibus interpretum profundam, iam quid sentiam dico; scilicet genetivum *Danaum* non solum de voce *insidiae* dependere, sed etiam ad verba de quibus tam multa disputavimus referendum esse, ut sententia fiat: tum vero manifesta fides¹⁾ *Danaum*; patescunt eorum insidiae. ergo Aeneas hoc narrat: eo temporis puncto cum de summo tecto specularer, cognovi quam perfidis insidiis a Graecis capti essemus. altera autem pars: *Danaumque patescunt insidiae*, more quem novimus Vergilianum esse addita est, ut demonstretur quae sit ea fides *Danaum* iam manifesta.

In accusativis cum infinitivis coniunctis notio adverbialis alteri verbo adiecta etiam ad antecedens retrahenda est VIII, 397:

tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset
nec pater omnipotens Troiam nec fata vetabant
stare decemque alios Priamum superesse per annos.

in quibus ordo est: nec pater omnipotens nec fata vetabant per alios²⁾ decem annos Troiam stare et Priamum superesse. sed arte sua duas sententiae partes conexu verborum ita in unum confundit, ut evadat coniunctio Priami et Troiae ex Homero notissima Ἰλιος ἱρή καὶ Πρίαμος.

Videmus igitur Vergilium collocatione verborum quae dicitur ἀπὸ κοινοῦ ut artificio uti, in Aeneide quidem multis locis eisque diligentissima interpretatione dignis. in eclogis et georgicis simile artificium frustra quaeres, quippe quod cum altiore sono stili heroici cohaeret. atque quae in georgicis inveniuntur huc pertinentia, eorum ratio multo est simplicior. accusativum ἄ. ζ. stare dicas, quamquam participium ei post alterum verbum additum speciem huius figurae faciliorem reddit, georg. I, 91:

seu durat magis et venas adstringit hiantis.

dativus duorum verborum alteri praemissus est:

1) perfidiam Danaum ostendit eodem modo, quo Romani *fidem Graecam* dicunt.

2) *alios* pro *alteros*, quod in versu heroico nullo modo stare potest, positum non solum apud poetas, sed etiam in pedestri sermone nunquam invenitur. cf. Thes. l. l. p. 1648. sed hic locus a ceteris Vergilii paulo discrepat, quod aliud adiectivum non cum nomine proprio coniunctum est.

III, 125 quem legere ducem et pecori dixere maritum,
ablativus IV, 28

si forte morantes

sparserit aut praeceps Neptuno merserit Eurus.

et IV, 510 mulcentem tigris et agentem carmine quereus.

Talem figurae usum item apud Lucretium inveniri nihil est quod mireris, cum amet verba finita plura coniungere. ad georg. I, 91 plane quadrat Lucr. II, 887

quod movet et varios sensus expromere cogit.

et VI, 1049

prius aestus ubi aeris

praecepit ferrique vias possedit apertas.

nonnumquam notio adverbialis à. x. posita est, ut

Lucr. III, 189 namque movetur aqua et tantillo momine flutat.

II, 1135 plura modo dispargit et ab se corpora mittit.

ubi praeterea obiectum, quod ex adiectivo et substantivo constat, inter duo illa verba divisum est. locum addam simpliciore¹⁾ ordinem habentem IV, 934

tundier atque eius crebro pulsariet ictu.

neque desunt loci, quibus duo verba, ad quae vox à. x. posita pertinet, non fere idem, sed diversa significant velut

Lucr. II, 1006 et capiant sensus et puncto tempore reddant, qui versus nescio an superiore loco afferendus fuerit, cum particula copulativa et repetita speciem anaphorae exhibeat, sed huc referendum esse apparet II, 1012

et interdum nasci subitoque perire.

huc etiam referre licet locum, qui dictionem Vergilio in Aeneide saepe usitatam unus propius accedere mihi videtur:

II, 55 nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis

in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus

interdum,

nam verba *caecis in tenebris* ad *trepidant* non referri nequeunt, ut si pedestri sermone vertamus dicendum sit: nam veluti pueri in tenebris trepidant omnia metuentes²⁾.

1) simpliciore esse ordinem dico, quoniam ablativus *ictu* alteri verbo postpositus est et figura eo tantum efficitur quod adiectivum et genetivus cum *ictu* coniunctus ante verbum praemissus est.

2) recte Heinze ad III, 913 rem indicavit, scil. *caecis in tenebris*

Poetae epici aetatis posterioris, cum verba fere synonyma coniungere evitent, eo genere figurae, quod nonnumquam apud Lucretium et in Vergilii georgicis deprehendimus, vacare solent. ex uno Ovidio duos locos metamorphoseon afferre licet¹⁾:

met. XV, 255 sed variat faciemque novat,

392 una est quae reparet seque ipsa reseminet ales.

Sed fallitur etiam, si quis alterum eius figurae genus in Aeneide tam saepe usurpatum apud posteriores saepius inveniri putat. ex Ovidii metamorphoseon libris unum conferre possum XIII, 425

tamen unius hausit

inque sinu cineres secum tulit Hectoris haustos.

atque vel ex hoc loco cognoscimus Ovidium eo genere figurae non usum esse nisi cautione quadam adhibita, quod verbum *hausit*, ad quod *cineres* referendum est, in altera parte participii forma repetitur. neque cautione simili vacant loci duo, quos ex Valerio conferam:

Argon. IV, 5 haeret inops solisque furit Tiryntius oris.

V, 384 qui tulerit longis et te sibi iunxerit annis.

ubi adiectiva, quae ad substantivum in altera parte positum pertineant, in priore parte inveniuntur. in Stati Thebaide quod Vergilianis apte comparari possit nihil inveni. fortasse apud Lucanum id genus figurae, cuius tot exempla Vergiliana explicavimus, frequentius est. nam quem locum ex Lucani libro primo adscribere possum:

I, 38

diros Pharsalia campos

impleat et Poeni saturentur sanguine manes.

exempla Vergiliana eaque audacissima eo proxime accedit, quod duo verba, ad quae ablativus *z. z.* positus pertineat, alterum ab altero subiecto pendent²⁾.

ad totam sententiam pertinere. quae eodem loco confert, huc non trahi possunt, quoniam de figura *z. z.* agitur.

1) unum locum Valerii adscribere possum, quo notio adverbialis duorum participiorum alteri praemissa est,

Arg. VI, 418 sed implicitos miseraque in peste revinctos.

2) Bentleyus coniecit *diro*: sic non solum figuram eliminat, sed etiam difficultatem novam verbis intulit. *Iharsalia* enim *campos* omnino stare nequit nisi praemisso adiectivo, quod cum substantivo quod est *campos* coniungatur. ad ordinem verborum cf. Aen. I, 435

Aen. VIII, 57 ipse ego te ripis | et recto flumine ducam.

XI, 419 sin et opes nobis | et adhuc intacta iuventus,

XI, 481 succedunt matres | et templum ture vaporant.

et particula in caesura posita est:

VIII, 588 in medio chlamyde et | pictis conspectus in armis.

VIII, 474 hinc Rutulus premit et murum circumsonat armis.
nec non adscribam exempla singula ex ceteris poetis, quae forte oculis occurrent:

Lucret. II, 1006 et capiant sensus | et puncto tempore reddant.

Ovid. met. XV, 392 una est quae reparet | seque ipsa reseminet ales.

Val. Fl. I, 634 magnanimus spectat pharetras | et inutile robur
Amphitryoniades.

haec satis sunt ad demonstrandum fieri ipsa natura versus heroici, ut recitantibus quidem quomodo verba inter se cohaereant facile intellegatur. versus autem cum tot intercisiones patiat, non mirabimur in eo multos locos esse quibus si verbum positum sit altius sonet. quod cum exemplis subiecti ἀπὸ κωνοῦ positi optime illustretur, iam aggrediar quae adhuc distuli.

Simplicissima ratio est ea, ut subiectum ἄ. κ. positum sententiam terminet, velut Aen. VIII, 310:

miratur | facilisque oculos fert omnia circum

Aeneas capiturque locis.

ubi subiectum in initio versus positum est, quo maiorem sonum accipiat, et verbum prius (*miratur*) caesura secundaria ita ab altera parte dirimitur, ut subiectum facilius ad illam priorem partem et retrahatur et expectetur. eo praeterea figurae species lenior fit, quod subiectum in fine alterius sententiae invenitur. saepe subiectum alteri demum verbo additum post caesuram primariam positum est:

XI, 534 compellabat et has | tristis Latonia voces
ore dabat.

IX, 630 audiit et caeli | genitor de parte serena
intonuit laevom.

quo loco ne caesuram hephthemimerem statuamus, prorsus impedit quod *caeli* genitivus non cum subiecto coniungi debet, quamquam sunt qui sic coniungi velint, sed potius de verbis, quae versum terminant, pendet scil. de verbis *de parte serena*. adsimiliter dictum est quod legimus XI, 794:

met. VIII, 618 immensa est finemque potentia caeli
non habet.

maiore varietate sunt quae ex Valerio comparari possunt.
duobus locis ratio fere eadem est atque in versu ex georgicis
supra allato:

Argon. III, 133 tollitur hinc tentoque ruit Tirynthius arcu
VI, 275 vulnus referens, quod carmine nullo
sustineat nullisque levet Medea venenis.

VI, 400 tunc ensibus uncis

implicat et trepidos lacerat discordia cursus.
ordinem in Aeneide fere solum exhibitum et Ovidio etiam usitatum,
quo fit, ut subiectum post caesuram positum sit, apud Valerium
nusquam inveni; sed subiectum in caesura positum est:

VI, 255 inruit ultro
turbatumque Lacon et adhuc invadit inermem.

his locis versum finit vel alterius initium facit:

IV, 501 emicat hic subito seseque Aquilonia proles
cum clamore levat,

V, 446 deficit in thalamis turbataque paelice coniunx
pallam et gemmiferae donum exitiale coronae
apparat,

VIII, 328 tollitur atque inter Colchos Argoaque vela
Styrus abit.

Neque minus Statius in Thebaide rationem huius figurae
variat. duobus locis subiectum commune post caesuram trithemi-
merem invenimus:

Theb. V, 565 'at non mea vulnera' clamat
et trabe fraxinea | Capaneus subit obvius 'unquam
effugies'.

XI, 147/8 etenim unde Mycenis
adforet et vallum | coniunx inopina subiret.

leniorem illam speciem figurae, cuius exemplum ex georgicis
sumpsimus, tres loci habent:

eandem figurae formam apud Lucanum si frustra quaeremus, mira-
remur, cuius poema sententiis contrapositis scateat. ita subiectum ἀπὸ
τοῦτοῦ positum est:

Pharsal. II. 575 non te fugiunt, me cuncta secuntur.

I, 359 stagnoque refusa est

funditus et veteri | spumavit Lerna veneno.

VI, 571 ut ruit atque aequum | submitit regula limen,

XI, 426 ad volat et medias | immittit Adrastus habenas.

alter versus a subiecto communi incipit

Theb. II, 590 impeditant numero seque ipsa vicissim
arma premunt.

duobus locis subiectum pedem ultimum explet:

III, 104 non te caelestia frustra

edocuit lauroque suo dignatus Apollo est.

X, 376 accepit radios et eadem percitus Hopleus

Tydea luce videt.

Hac igitur forma subiecti ἀπὸ κενῶν positi cum Vergilium viderimus parcius atque cautius quam ceteros esse usum, multo locupletior est locis, quibus subiecto communi in altera parte posito pronomen aliquod vel attributivum cum eo coniunctum in priore parte praemittatur, quo fit ut subiectum, ubi hoc pronomen audiverimus, expectetur et pronomen praemissum quasi pendeat, dum ipso subiecto excipiatur. atque cum saepissime inveniamus vocem in initio sententiae positam artissime coniunctam esse cum ultima, minime debemus mirari quod saepe pronomen vel attributivum, a quo sententia incipiat, a subiecto in fine posito excipitur non uno sed duobus verbis intermissis, ut hoc loco:

Aen. V, 19 mutati | transversa fremunt et vespero ab atro
consurgunt | vent i.

ubi praeter ea quae dixi caesuris efficitur, ut duae illae voces quae subiectum continent integri versus temporibus intermissis continuo ordine inter se coniungantur idque cursu versuum indicetur. altero loco accedit etiam structurae responsio artissima:

II, 53 insonuere cavae | gemitumque dedere cavernae.
vel etiam ad subiectum, cui in parte priore vox aliqua praemissa est, altera vox adiectiva in posteriore parte accedit:

georg. III, 255 ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus,
in Aeneide similis ordo, sed paulo audacior invenitur, ubi in priore parte genetivus a subiecto pendens praemittatur:

IV, 351 sq. me patris Anchisae, quotiens umentibus umbris
nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,

admonet in somnis | et turbida terret imago.
hoc quoque loco caesuris fit ut facillime percipiamus verba *patris Anchisae* cum verbis *turbida imago* esse coniungenda. neque caesura minus valet Aen. I, 712 sq.:

praecipue infelix | pesti devota futurae
expleri mentem nequit ardescitque tuendo
Phoenissa et pariter puero donisque movetur.

genetivus et adiectivum praemittuntur:

Aen. VII, 464

furit intus a quai

fumidus atque alte spumis exuberat amnis.

Quibus omnibus locis cum eo solo figura efficiatur quod subiecto in fine duarum sententiarum posito vox aliqua cum eo coniungenda in priore membro praemissa est, aliis locis figura dicenda esset, etiamsi pronomen vel attributivum non praemitteretur. ex georgicis quae comparari possunt eius generis omnia eo tantum a versu ex georgicis supra adscripto (III, 87) differunt quod attributivum aliquod praemissum est:

g. III, 303

cum frigidus olim

iam cadit extremoque inrorat aquarius anno.

IV, 419

quo plurima vento

cogitur inque sinus scindit sese unda reductos.

qui versus fere repetitus invenitur Aen. I, 160:

quibus omnis ab alto

frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.

neque observatione indignum est. quod adiectivum praemissum eundem prioris versus locum habet quem ipsum subiectum tenet alterius.

Paulo liberior iam ordo fit, ita tamen ut subiectum post alterum verbum positum sit, his versibus Aeneidis:

V, 202 namque furens animi | dum proram ad saxa suburget
interior *spatioque* subit | *Sergestus iniquo*,

IX, 521 parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
pinum et *fumiferos* | infert *Mezentius ignis*.

XI, 659 quales Threiciae cum flumine Thermodontis
pulsant et *pictis* | bellantur *Amazones armis*.

ceteris locis audacia eo augetur quod subiectum α . α . positum antecedit verbum;

Aen. II, 418

saevitque tridenti

spumeus atque imo | Nereus ciet aequora fundo.

XII, 784 rursus in aurigae faciem mutata Metisci

procurrit | fratrique ensem | dea Daunia reddit.

et prorsus similiter dictum est V, 527:

caelo seu saepe refixa

transcurreunt | crinemque | volandia sidera ducunt.

atque videmus caesura effici. ut quae coniungenda sint facilius auribus percipiantur. alia ratio uni inest versui I, 695:

iamque ibat | dicto parens | et dona Cupido

regia portabat,

ubi ordo eo facilius perspicitur. quod participium subiecto praemissum in caesura positum est, cum ipsum subiectum versum terminet. adiungam versus, quibus elegantia maior quaedam ex hac figura petita sit:

VIII, 461 nec non et gemini | custodes limine ab alto

praecedunt gressumque | canes comitantur erilem.

canes enim ad suam appositionem, quam dicunt, *custodes* retrahatur necesse est, quoniam quae sit sententia non prius intellegitur quam ipsum subiectum *canes* legimus. sic igitur poeta voluit verba coniungi: *gemini canes, custodes*; quod caesura primaria post adiectivum *gemini* posita indicatur. atque sententia haec est: etiam canes, quamquam, ut custodes decet, alias limen relinquere non solent, erum comitantur. quae autem obiter tantum dicit. poeta eo modo quasi altiore loco posuit, ut caesuris, quas indicavimus, includat¹⁾. simile genus figurae est, ubi nomen appositum aliquod vel attributivum, quod ad subiectum priori verbo adiectum pertineat, alteri verbo adiectum est, ut his locis:

VII, 620 tum regina deum | caelo delapsa morantis

impulit ipsa manu portas et cardine verso

belli ferratas rumpit Saturnia postes.

1) locum simili ratione compositum explicavit Leo l. s. p. 21:

Tibull. I, 1. 17 pomosisque ruber custos ponatur in hortis

terreat ut saeva falce Priapus aves.

quo loco Leo docuit adiectivum *ruber* potius ad nomen dei quam ad appositionem pertinere, ut sit: ruber Priapus custos ponatur in hortis. eo autem hic locus Tibulli differt, quod nomen ex sententia secundaria retrahitur.

- IX, 124 cunctatur et annis
 rauca sonans | revocatque pedem Tiberinus ab alto.
 VIII, 481 hanc multos florentem annos | rex deinde superbo
 imperio et saevis tenuit Mezentius armis.
 IX, 659 adgnovere deum proceres | divinaque tela
 Dardanidae pharetramque tuga sensere sonantem.
 VI, 473 coniunx ubi pristinus illi
 respondet curis aequatque Sychaeus amorem.

ubique autem praeter IX. 659, quo loco adiectivum retrahendum in initio versus deprehendimus, altera pars subiecti post alterum verbum positum est, quo species figurae fit ei formae simillima, cuius exemplum supra explicavimus georg. v. III. 87.

Iam quaeres, quae tanta mole locorum coacta mihi videar effecisse. primum verisimile fit, cum apud prioris aetatis poetas eadem figurae forma perraro inveniatur¹⁾, nisi quod saepe subiectum ex sententiis secundariis retrahendum est, Vergilium inter primos eam coluisse; Lucretius enim subiecti retrahendi eam formam, qua attributivum aliquod in priore parte praemittatur, omnino non habet. posterioris autem temporis poetas Ovidium, Valerium, Statium eius generis multa exempla habere non miraberis. e quibus singulis terna exempla addam, ut videas eorum rationem similem esse.

- Ov. met. VI, 189 donec miserata vagantem
 'hospita tu terris erras, ego' dixit 'in undis'
 instabilemque locum | Delos dedit.

- VI, 231 veluti cum praescius imbris
 nube fugit visa pendentiaque undique rector
 carbasa deducit.

- XIV, 781- unam tamen ipsa reclusit
 nec strepitum verso | Saturnia cardine fecit.

multo frequentior etiam est ea figura apud Valerium, ex quo haec tria exempla adscribo:

- Argon. I, 111 quos talibus amens
 insequitur solitosque novat | Saturnia questus.
 III, 10 primas coniunx Percosia vestes
 quas dabat et picto | Clite variaverat auro.

1) vide quae Leo conguessit l. s. p. 23 sq. et 21.

IV, 286

pervigil ut cum
artificum notat usque manus et fulmina Cyclops
prosubigit.

ex Stati Thebaide denique haec tria exempla addo:

II, 137

illi roseus | per nubila seras
advertit flammam alienumque aethera tardo
Lucifer exit equo.

VII, 466

it geminum excutiens | anguem et bacchatur utrisque
Tisiphone castris.

VIII, 641

prima videt eamque tremens | Iocasta vocabat
Isnemen.

Alterum hoc ex tot locis congestis puto apparere: quae apud Vergilium aliosque poetas Latinos primo quidem obtutu ordine nimis intricata videntur esse, ut sint, qui tantam in verbis collocandis intricacionem vituperent ut egestate sermonis effectam, eis non offenduntur ii, qui aures habent ad cursum versuum percipiendum aptas, ut habebant antiqui nostris multo aptiores. quin etiam apud Vergilium nonnumquam lepidum artificium tali ordine effici et demonstrasse me puto et facile in aliis locis demonstrari potest.

Caput IV.

De zeugmatis genere quodam.

Figurae ἀπὸ κοινοῦ tandem relictæ ea ratio est, ut vox ad duo nomina vel verba quae pertineat, alteri tantum adiecta sit et simul ad prius subaudiatur. quo cum fiat, ut aliquid a poeta cogitatum supplendum sit, nonnumquam audacia loquendi, quae huic figurae inest, eo augetur, ut vocis alia forma supplenda sit quam quae postea alteri membro adiecta audiatur, velut adiectivum alio casu retrahendum est:

Aen. VIII, 57 ipse ego te ripis et recto flumine ducam.

et multis aliis locis supra collatis. idem saepe fit verbo finito, scilicet ut alio numero vel etiam aliter declinatum subaudiatur, ut his¹⁾:

1) vide Leo l. s. p. 37. id genus figurae cum anaphorae forma coniungi solet. conferas:

Aen. III, 408 hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto.

XI, 57

ei mihi, quantum

praesidium Ausonia et quantum tu perdis Iule.

quin etiam tempore mutato verbum retrahendum est:

XII, 96

te maximus Actor,

te Turni nunc dextra gerit¹⁾.

Sed obiter tantum hoc tetigi²⁾, ut appareret non sine ratione disputationi de figura ἀπὸ κοινῶς adnecti quod iam tractabo: scilicet nonnunquam fit, ut verbum a quo duo obiecta dependeant, uni tantum satisfaciatur: quod novelli grammatici zeugma nominare solent. ita de Darete cum Entello pugnante dicitur:

VIII, 298 nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoeus.

X, 534 hoc patris Anchisae manes, hoc sentit Iulus.

Georg. IV, 516 nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei.

contrarium genus, ut ex parte antecedente verbum aliter declinatum subaudiatur:

Aen. VIII, 518/9 Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
lecta dabo totidemque suo tibi nomine Pallas.

(vide adnotationem Coningtoni.)

eclog. VIII, 82 Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.
quibus verbis Theocriti versum vertit II, 23:

Δέφνις ἔμ' ὀρίσσειν, ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέφνιδι δάφνας
αἴθω.

1) recte Servius explicat: *subaudimus 'antea gerere consueverat'*; ex verbis, quae sequuntur, *nunc gerit* in prior parte subauditur *antea gessit*; neque Ribbeckius proponere debebat: *non maximus Actor*. similiter verbum in sententiam secundariam retrahendum aliud tempus flagitat:

eccl. VII, 22 quale meo Codro, concedite,

VI, 69 hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,

Ascraeo quos ante seni.

2) infinitivi forma saepe ex verbo sententiae primariae in secundaria supplenda est:

V, 813 tutus, quos optas portus, accedet Averni.

quos optas scil. eum esse accessurum.

VI, 31 partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes

IX, 300 per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat.

X, 628

quid si quae voce gravaris,

mente dares?

cf. Leo l. s. p. 47 sq. 32 sq.

Aen. V, 441 nunc hos, nunc illos aditus omnemque pererrat
arte locum.

post *aditus*, quod *hos*, *illos* antecedit, verbum desideramus; sed sequitur cum verbo tertium obiectum particula *que* adiunctum: neque *pererrat* est verbum, quod ad *aditus* desideramus; potius aptum esset *temptat*. facilius autem tale supplementum fit, quod sententiae inclinatio, quae hoc modo facta est, eo indicatur quod tertium obiectum non ut cetera *nunc* particula, sed copulativa *que* adiungitur. hic versus fere repetitus est:

Aen. XI, 766 hos aditus iamque hos aditus omnemque pererrat
undique circuitum.

neque dubitari debet, quin poeta in perfectis habuerit versum a Ribbeckio post Bryantium damnatum IV, 375:

amissam classem, | socios a morte reduxi.

quae verba sunt Didonis, quae graviter mente turbata Aenean perfidiae et animi ingrati coarguit. atque hoc loco id ipsum quod particula copulativa deest efficit ut facilius aliud verbum ad *amissam classem* subaudiatur quam quod alteri accedit; neque enim, si pro verbis *a morte reduxi* aliud verbum positum esset, quod etiam facillime ad alterum obiectum *amissam classem* retraheretur, tamen ne id quidem satisfaceret. quod etiam sensit Peerlcampius, qui suo ingenio usus coniecit: *a flammis classem, socios a morte reduxi*; sed coniectura, quamvis lepida sit, est, ut solet, inutilis. certe poeta voluit ex verbo alteri obiecto optime aptato ad prius subaudiri verbum aliquod latiore sensu, quale est *servari*. res similis est:

VII, 779 cornipedes arcentur equi, quod litore currum
et iuvenem monstris pavidi effudere marinis.

VII, 430 et Phrygios, qui flumine pulchro
consedere, duces | pietasque exure carinas.

VII, 692 quem neque fas igni cuiquam | nec sternere ferro.
nam *effudere* tantum quadrat ad iuvenem, neque *duces exure* quadrat neque *sternere igni* coniunctio est tam apta quam *sternere ferro*. simile quiddam accidit II, 258:

inclusos utero Danaos | et pinea furtim
laxat claustra Sinon.

ubi apparet sententiae inclinationem factam esse ab eis qui clau-

duntur in ea quibus clauduntur¹⁾, ut sermone pedestri sit: inclusis Danais Sinon claustra laxat. huc etiam trahendi sunt versus, de quibus grammaticos antiquos disputasse apparet ex disputatione ficta apud Macrobius, sat. VI, 8, 1 et Gellii V, 8 ex eisdem scholiis hausta, scil. versus Aen. VII, 187:

ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
succinctus trabea.

ex voce *succinctus* ad *lituo* subaudiri debet participium vel adiectivum quale est *insignis*²⁾. quantopere etiam in his recitatio ad sensum, quem voluit poeta efficere, iuvet. ex caesuris cognoscas eis ipsis locis positis, quibus verbum desideratur³⁾. neque casu factum esse puto, ut fere omnibus locis verbum, quod ad alterum tantum obiectum quadrat, adiectivo et substantivo quasi involvatur, quo vinculum inter verbum et substantivum artius astringitur.

Idem genus zeugmatis apud alios poetas Latinos perraro invenitur. Propertii poetae Vergilii ingenio admodum adfinis locos similes tantum indicavit Rothstein ad el. I, 20, 10 sq., quorum audacissimum exemplum adscribam, III, 31 13:

altera deiectos Parnasi vertice Gallos,
altera maerebat funera Tantalidos.

ex *Statio* unum locum adscribere possum

VII, 460 hi precibus questuque deos, hi Martia tela
belligerosque hortantur equos.

singularis etiam apud Valerium ea audacia zeugmatis est, quam invenimus VIII, 254:

1) aliud est IX, 225:

laxabant curas et corda oblita laborum.

quoniam verbum *laxabant* ad utrumque obiectum sensu translato quadrat.

2) cf. Leo, Senecae trag. I. p. 111.

3) non huc pertinet VIII, 529:

per sudum rutilare vident et pulsa tonare.

similis confusio sensuum est VIII, 360:

passimque armenta videbant,

Romanoque foro et lautis mugire carinis.

est quod graece dicitur μετεσχηματισμός, de qua vide Norden l. s. p. 200.

II, 312

pariterque animaque rotisque

expulit.

multum abest, ut ea, quae ex Valerio et Statio comparari possunt, audaciam Ovidianam aequent (cf. Leo l. s. p. 199): sed rem notam, qua Latinos minus offensos esse quam nos ex eo apparet quod ea nonnumquam etiam in pedestri sermone invenitur, diutius tractare iam supersedeo.

Caput V.

De structurae quadam inclinatione.

In zeugmatis genere, de quo in capite antecedente egimus, dici potest fieri quandam sententiae inclinationem, qua verbum, quod ad obiectum priore loco positum desideretur, ita detorqueatur, ut ad alterum tantum quadret. hoc vero capite pauca addemus de ipsius structurae inclinatione quadam, cuius duas formas discernam. altera enim est quae duas structuras miscet, altera qua structura abruptitur et ἀνακλόνησθον quod dicitur evadit.

Prioris generis exemplum proferam Aen. VII, 197:

quid petitis? quae causa rates aut cuius egentes
litus ad Ausonium tot per vada caerulea vexit?

ubi poeta, postquam dixit *quae causa rates*, ad quae verba desideratum verbum finitum in fine alterius versus sequitur 'vexit', sermonem alia voce interrogativa deflectens, quae indicavit verbis *quae causa*, magis definit. atque cum ipsi interroganti certum sit egestatem aliquam Troianos egisse, tamen non pergit *aut cuius rei egestas*, quod sane post verba *quae causa* vile esset; immo simul cogitationem a navibus (*rates*) detorquet ad homines, quod interpretes fefellisse videtur (cf. Conington). sic tantum ad *rates* omittere potuit *restras*, quoniam qui sint illi egentes (scil. vos) apparet verbo quod antecedit, *quid petitis*. neque silentio praetermittendum erat mire dictum esse *quae causa vexit*; scilicet verbum quod optime quadrat ad *rates*, translatum esse ad *causam*. tota autem sententiae compositio non tam studio atque consilio intricata quam cogitandi rationi poetae aptata est, qua sententiae

inter se confusae sunt; atque si poetae vestigia relegimus, earum explicatio haec est: quae causa rates vestras egit, vel potius cuius rei egetis, quod ratibus huc vecti estis? ¹⁾

Simplicior deflexio de re in hominem facta est:

VI, 140. sed non ante datur telluris operta subire

auricomos quam qui decerpserit arbore fetus.

de quibus verbis conferas quae dixit Norden. duae enuntiationes duplicis structurae confusione compressae sunt, videlicet *non ante datur cuiquam subire quam decerpserit* et *nemini datur nisi qui decerpserit*. huc etiam trahi potest VIII, 560:

o mihi praeteritos referat si Iuppiter annos,

qualis eram, cum

nam post verba prioris versus pergit, quasi dixerit *o utinam Iuppiter me talem reddat*. anacoluthi autem genus esse dicere licet, quoniam eorum locorum commune est quod aliquid poeta nova cogitatione aliqua inductus structuram inceptam dereliquit. talia autem poetis Vergilium sectatis non inter imitabilia esse manifestum est.

Quam alteram formam huius inclinationis supra dixi, ea est, ut anacoluthum fiat enuntiatum ita ordini, quem coeperat, insertis, ut poeta constructionem initam denique oblitus quasi relinquat. atque hoc genus anacoluthi notum est ex Lucretio, quem cum abundet enuntiatum, quae sint alia aliis subiuncta vel intricata, in tale artificium quasi confugisse non mireris. de quo legas quae disseruit Brieger prol. p. XXI sq. et Heinze in primis ad III

1) Vergilianum est verba ita inter se componere, ut is solus, qui totum spectet et quomodo verba collocata alia ad alia pertineant et notione sua valeant, quae sit sententia intellegat. conferas quae diximus p. 46 de Aen. V, 325 sq. confusio ea notionum quomodo fieri possit, ex his quoque videas:

Aen. VIII, 260

et angit inhaerens

elisos oculos et siccum sanguine guttur.

ubi *angit elisos oculos* non procedere iure dicit Servius, neque tamen coniectura, quam in codicibus vulgaribus fuisse Servius testatur, *elidens* recipienda est. poeta *angit elisos oculos* dicere ausus est, quod statim sequitur *et siccum sanguine guttur*, ex quibus appareat, quomodo verba antecedentia intellegenda sint; scilicet sententiam esse: *angit inhaerens guttur*, ut siccum sanguine fiat et oculi elidantur.

425 sq. ¹⁾). hoc modo continuationem interrumpere, quod apud Lucretium nonnumquam negligentia quadam fieri negari nequit, a Vergilii sermone non alienum est. sed ita huiusmodi anacolutho usus est, ut negligentia id factum esse nullo modo dicere possis.

Atque non agam de anacoluthi genere ²⁾), quale est eclog. VIII, 6

Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi,
sive oram Illyrici legis aequoris — en erit umquam
ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?

de quo loco Vahlen disseruit in indice lectionum 1888 p. 6 (cf. etiam Leo ad Culicis versus 20 sq.).

Notum est, quantopere Vergilius a Lucretiana sententiarum continuatione per multos versus tracta abhorreat. itaque, ubi ordini incohato mentem in aliam cogitationem flectens alia enuntiata intermittit, ne circuitus longior fiat, constructione priore relicta denuo initium sententiae facit. quod, ut facili exemplo utar, illustratur versibus Aen. XII, 861 sq.:

postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni,
alitis in parvae subitam collecta figuram,
quae quondam bustis aut culminibus desertis
nocte sedens serum canit importuna per umbras,
hanc versa in faciem Turni se pestis ob ora
fertque refertque sonans

ubi enuntiatum relativum, quo ales illa funebris depingitur, efficit ut apodosis denuo repetat quae iam dicta sunt. iam paulo intricatior est ordo Aen. V, 704:

tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
quem docuit multaque insignem reddidit arte,
— hac ³⁾ responsa dabat, vel quae portenderet ira

1) cui Giussani coniectura Lachmanni in versum 428 recepta iam pro *nam* non suo iure repugnat.

2) plane omittere possum anacoluthi genus apud Vergilium frequentissimum, quod in enuntiatis relativis invenitur, de quo vide Wagneri quaest. Virg. p. 555.

3) traditum est *haec* in omnibus codd. praeter Bern. 184, qui habet *hac*. quomodo *haec* in codices irrepsit facile intellegitur; nempe scriptum est pro *hac* a librariis qui verba ut Heynius coniungebant:

magna deum vel quae fatorum posceret ordo, —

isque his Aenean solatus vocibus inquit:

nam post verba *tum senior Nautes*, cum iam exspectentur quae versu 708 denique legimus (*solatus vocibus inquit*), poetae in mentem venit aliquid de Nauta eiusque arte inserere, quod facit primum enuntiato relativo *unum Tritonia Pallas quem*, . . . *arte*; neque his satis dixisse sibi visus per parenthesis, qualis sit eius ars vaticinandi, ostendit, duas res etiam apud alios distinctas indicans¹⁾. sane parenthesis exstat; nullo enim modo ordo, sic ut Heynius voluit, continuatus stare potest: *tum senior Nautes* . . . *haec responsa dabat*. praeter imperfecti formam *dabat* maxime, ne hunc esse ordinem putemus, impedit quod sequitur *vel quae portenderet ira magna deum*, de qua re nullum verbum postea legimus. ergo recte parenthesis indicaverunt Gossrau, Henry, Conington, Ribbeck. *dabat* autem certe de Nauta dictum est, neque, quod quidem volunt Henry et Conington, *haec* (scil. *Pallas*) subiectum est. ipse Nautes arte a Pallade accepta praeditus responsa dabat, nam *responsa dare* non solum de deis, ut Conington et Henry contendunt, sed aequo iure, quoniam est vocabulum iureconsultorum, de vatibus²⁾ usurpatur, qui consulti deorum voluntatem indicant. itaque cum non Palladis sed Nautae ars vaticinandi laudetur, scribendum est *haec* (scil. arte a Pallade accepta). neque Conington recte putat vocem relativam *quae* cum substantivo quod est *responsa* ita coniungendam esse, ut sententia evadat: *vel quae responsa portenderet ira deorum vel quae (responsu) fatorum posceret ordo*; potius in unum comprehendenda sunt verba *responsa dabat*, e quibus facile sumas verbum dicendi ad sequentia suppleendum, et sententia haec est, *haec* (arte) *responsa dabat*, quibus nuntiabat vel quae . . . et q. s. sed ut tandem, unde degressi sumus, revertamur: ordo, qui incipit a verbis *tum senior Nautes* intermissis aliis sententiis versu 708 non continuatur, sed denuo incipit *isque his Aenean solatus vocibus inquit*.

tum senior Nautes . . . *haec responsa dabat*, quod nullo modo fieri posse supra demonstravi. *haec* recte restituit Dietschius theol. Verg. 28.

1) Gossrau comparat Claud. de bello Get. 172 *seu fata vocabant seu gravis ira deum*.

2) cf. VI, 82 *vatisque ferunt responsa per auras*. et VI, 44 *unde ruunt totid m voces responsa Sibyllae*.

Paulo alio modo ad constructionem derelictam post ambages artificiosas reditur I, 23 sq.:

id metuens veterisque memor Saturnia belli,
 prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis;
 nec dum etiam causae irarum saevique dolores
 exciderant animo, manet alta mente repostum
 iudicium Paridis spretaeque iniuria formae
 et genus invisum et rapti Ganymedis honores;
 his accensa super iactatus aequore toto
 Troas, reliquias Danaum atque inmitis Achilli,
 arcebat longe Latio.

hoc enim loco verba, a quibus initium sententiae fit: *id metuens veterisque memor Saturnia belli* usque pendent, dum post quinque versus intermissos recipiantur verbis *his accensa super*. novo timori, quem Iuno Carthagini suae exhibet, altera causa, cur Troianos persequatur, eaque vetus additur verbis *veterisque memor Saturnia belli, prima quod . . . et q. s.* quae cum dixisset, iam poetae in mentem venit irae continuandae eam causam non esse, postquam Troia capta sit; itaque adiciendae erant causae, quibus commota tanto in Troianos odio infecta esset, quod fit versibus 25 -28. deinde autem non ad prima verba revertitur, sed ex eis, quae modo dixit, alterum initium faciens continuationem interruptam excipit versu 29: *his accensa super*, quae verba respondent verbis in initio totius circuitus positis *id metuens* et *q. s.* loco alio ex temporis notione deflectitur in comparisonem:

VIII, 407 inde ubi prima quies medio iam noctis abactae
 curriculo expulerat somnum, cum femina primum,
 cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
 impositum, cinerem et sopitos suscitatur ignes
 noctem addens operi famulasque ad lumina longo
 exercet penso, castum ut servare cubile
 coniugis et possit parvos educere natos:
 haud secus Ignipotens nec tempore segnior illo
 mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.

Cum enim poetae in animo esset dicere, quam maturo tempore Volcanus opus suum ingressus esset, res ipsa, qua usus studium ac sedulitatem eius describit, cum ad latiore enarrationem deduxit, ut narratione absoluta optime ex imagine descripta com-

parationem fecerit. itaque pergit non: *codem tempore*, quibus verbis coniunctionem *cum* excipere poterat, sed: *haud secus Ignipotens*, tamen temporis notionem non plane negligens, quod indicat verbis additis: *nec tempore signior illo*. similiter declinatio facta est:

IX, 549 isque ubi se Turni media inter milia vidit,
 hinc acies atque hinc acies adstare Latinas,
 ut fera, quae densa venantium saepta corona
 contra tela furit seseque haud nescia morti
 inicit et saltu supra venabula fertur,
 haud aliter iuvenis medios moriturus in hostes
 inruit et ,

ubi comparatio intermissa effecit, ut poeta initii sententiae quae est *isque ubi* quasi oblitus post comparationem enarratam denuo inciperet; *haud aliter iuvenis* Longe aliud est neque huc pertinet genus anacoluthi in orationibus nonnumquam adhibitum, quod optime explicavit Norden ad Aen. VI, 119 (p. 150 sq), quoniam in eo genere ipsius orationis vivacitas et motus anacoluthum secum trahit. in hac vero de anacolutho disputatiuncula locum habent versus, qui qua arte compositi sint, interpretes fallere solent, Aen V, 512 sq. quibus columbam telo Mnesthei liberatam et in aerem volantem subito ab Eurytione fixam esse his verbis narratur:

tum rapidus iamdudum arcu contenta parato
 tela tenens fratrem Eurytion in vota vocavit:
 iam vacuo laetam caelo speculatus et alis
 plaudentem nigra figit sub nube columbam.

atque in his primo quidem obtutu offendit quod post verba *tum rapidus*, cum expectemus iam columbam figi, sequitur: *iamdudum* *vocavit*. tamen id, quod Wagner existimat: hunc locum a Vergilio in emendandis relictum fuisse, minime verum esse arbitror, quoniam unum quidque in hac certaminis descriptione maxima arte et diligentia expolitum esse potest demonstrari. attamen *rapidus* adiectivum cum verbo *vocavit* minime consentire Wagner recte sensit: *reliis*, inquit, *poetam versu 514 scripsisse: fratre Eurytion in rota vocato*, quod Eurytionem tempus vocandi omnino deficit. sed potius res haec est: poeta a verbis *tum rapidus* incipiens cogitabat *figit*, sed Homeri descriptionis memor

praeposuit *fratrem in rota vocavit*; tum quasi se recipiens pergit: *iam fugit*. cum Homero in hac descriptione¹⁾, ut solet, certavit poeta Latinus atque hac re ab illo maxime differt, quod HomERICA admirabili arte comprimens id unum in primis describere volebat: subito praeter expectationem ceterorum columbam iam liberatam esse fixam. quod ut efficeret diversis temporibus verborum usus est. nam cum perfecti tempus (*vocavit*) verba antea audita *rupit* (510) *fugit* (512) continuet, nova res neque expectata praesenti tempore indicatur: *tum rapidus fugit*²⁾. quae structura, cum sane poeta anacoluthi formam progressum impediendam vitet, tamen quomodo cum anacolutho cohaereat, facile videmus: potius cogitationis anacoluthum quam structurae dici potest.

Anacoluthi forma, de qua modo disserui, non inter ea est, quae, cum certa ratione usitentur, omnium poetarum sint: frustra similia apud Ovidium, a cuius arte id genus dictionis alienum esse non miraberis, nec non etiam apud Valerium et Statium quaeres. contra quam anacoluthi formam Aen. V, 704 sq. (p. 67 sq.) explicavimus neque a Valerio neque a Stati Thebaide est aliena. unus quidem locus Valerii, quamvis corruptus sit, certe huc afferri potest:

Arg. II, 316 tunc etiam vates Phoebæ dilecta Polyxo

— non patriam, non certa genus, sed maxima ***

Proteaque ambiguum Phariis *** ab antris

huc rexisse vias iunctis super aequora phocis —

haec imis se condit aquis cunctataque paulum

surgit et³⁾ auditas referens in gurgite voces

'portum demus' ait,

1) sunt Iliadis versus ψ 870 sq. vitavit Vergilius mendam narrationi ab aedo quodam Homerico illatum, certe non ab ipso poeta, qui huius certaminis argumentum invenit, et in scholiis quoque vituperatum, qua Achilles alterum pretium promittit se ei daturum esse, qui vincula columbae telo ruperit. paulo aliter de auctore lepidae huius descriptionis iudicat Heinze l. s. p. 159.

2) idem artificium exhibitum est in alium effectum Aen. V, 181 sq.
illum et labentem Teucris et risere natantem
et salsos rident revomentem pectore fluctus.
scil. perfecti tempore (*risere*) utitur, ut aliquid iam praeteritum describat, deinde verbo *vident* ad tempus praesens revertitur.

3) et correxit ex tradito ut Koestlinus Philol. 39, 248.

nam in versu 320 *haec*, quod Bachrens rectissime coniecit traditis litteris 'saep' inesse, post parenthesin. qua uude Polyxo uenerit dictum esse vel ex verbis graviter corruptis apparet, recipit verba derelicta: *tunc etiam cates Phoebæ dilecta Polyxo.* ampliore circuitu, qualis orationi tantum vel magis etiam precationi aptus est, Statius utitur in Thebaide IX, 612; ubi sermo ita deflectitur, ut demonstrativum, a quo apodosis incipit, scilicet *hunc* (v. 622) recipiat nomen, quod in sententia exstet quasi obiter prodosi adiecta. prodosis est advocatio, quae est *virgo* . . . *catervae* (v. 608—611) praemissa:

612—616 si mihi non umquam thiasi ludusve protervae
noctis et invisio quamvis temerata cubili
non tamen aut teretes thyrsos aut mollia gessi
pensa, sed in tetricis et post conubia lustris
sic quoque venatrix animoque ¹⁾ innupta remansi,

deinde non, quae exspectatur, apodosis *puerum meum mihi serva* sequitur, sed sic pergit eum, pro quo vota facit, velut *παρανθε-
τικῶς* precationi suae inserens:

617 sq. nec mihi secretis culpam occultare sub antris
cura, sed ostendi prolem ²⁾ postuique trementem
ante tuos confessa pedes; nec degener ille
sanguinis inque meos reptavit protinus arcus
(tela puer lacrimis et prima voce poposcit) ³⁾.

his igitur postquam suam in Dianam pietatem simulque filii virtutem ostendit, tum denique, quid petat, deae dicit his verbis apodosin incohans v. 622:

hunc mihi (quid trepidæ noctes somnumque minantur?)
hunc, precor, audaci qui nunc ad proelia voto
heu nimium sibi fisis abit, da visere belli
victorem vel, si ampla peto, da visere tantum.

non dubitari potest, quin Statius consilio artificium ex tanta am-

1) *animoque* P, *animumque* BM.

2) v. 618 *prolem* P, *puerum* ceteri codices.

3) hic versus a Kohlmanno uncis inclusus, quamquam deest in P, sine detrimento sententiae demi nequit, cum solis verbis *inque meos reptavit protinus arcus* animus bellicosus pueri non satis dilucide describatur.

bage quaesiverit, sed videmus, id in quantas et quam molestas ambages poetam induxerit.

Quae ex Lucretio supra indicavi, alius generis sunt et ipsi docendi rationi applicata. neque igitur mirum est usui Lucretiano prope accedere locos paucos in Georgicis. sic georg. IV, 67, quo loco docet, quid faciendum sit duobus regibus apium decertantibus, postquam coepit:

sin autem ad pugnam exierint,
velut in parenthesi dicturus, quomodo ea bella ordiri soleant pergit:

— nam saepe duobus
regibus incessit magno discordia motu.

sed res describenda poetam ita quasi secum trahit, ut iam initii oblitus totum bellum diligentissime describat. tandem viginti versibus intermissis venit ad ea, quae ei a versu 67 usque in animo erat docere:

v. 88 sq. verum ubi ductores acie revocaveris ambo,
deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
dede neci.

nullo autem verbo ad ea, a quibus descriptio incipit: *sin autem ad pugnam exierint*, revertitur¹⁾. plane similis est ordo georg. IV, 251 sq., ubi post verba:

si vero quoniam casus apibus quoque nostròs
vita tulit, tristi languerant corpora morbo,

apodosis differtur, ut constructione abrupta describatur, qualis sit ille morbus apium quibusque signis agnoscat (v. 253 — 263). tum denique apodosin audimus v. 264:

hic iam galbaneos suadebo incendere odores,
ubi *hic* ad sententiam modo antecedentem pertinet. videmus igitur rationem anacoluthi in georgicis plane aliam esse atque in Aeneide.

1) postquam prima parte (— 76) descripsit, quomodo pugnam praeparent, ad ipsius certaminis descriptionem pergit versu 77: *ergo ubi . . .* Ribbeckius 67—76 uncis includit, ut parenthesin indicet: sed verba *ergo ubi . . .* initium recipere vel continuare vix dici potest.

Caput VI.

De translatione adiectivi et hypallage quadam ei
cognata.

De hypallage et praecipue de adiectivis translatis cum etiam alii ¹⁾ egerint, tamen spero non inutile fore ad artem Vergilianam artioribus limitibus describendam quae cum aliorum tum Jacobi disputationibus, qui in *quaestionibus epicis* de adiectivis translatis multa disseruit, addere mihi in animo est.

Inter artificia poetarum notissima est translatio adiectivi, quae a nomine substantivo eo, ad quod sensu genuino quadrat, in aliud fit; atque cum mirari nequeamus poetas ea figura saepe usos esse, ut dictionem cottidianam ut nimis siccam evitarent, apud poetas, quibus ingenium poeticum sit, ubi ea translatio invenitur, quaeritur, an diligentiore interpretatione digna sit quam ea, quae, ut fieri solet, figura indicata sibi existimat satisfecisse. sane in attributivi translationis quodam genere certa ratio inveniri nequit nisi ea, ut compositio verborum paulo inusitatior fiat ideoque altius sonet. ita Lucretius V, 24:

quid Nemeaeus enim nobis nunc magnus hiatus
ille leonis obsesset et horreus Arcadius sus?

compositionem verborum eo variare studuit, ut adiectivum, quod solet cum leone coniungi, *Nemeaeus* substantivo regenti adiecerit et sit *Nemeaeus hiatus leonis*. similis autem translatio adiectivi ex nomine proprio ducti, cuius exempla Lucretiana videas ad IV, 733 a Giussanio collecta, apud Vergilium perraro usurpatur et, ubi invenitur, minus offendit quam compositio Lucretiana. nam Aen. VIII, 526:

Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor,
et XII, 739 postquam arma dei ad Volcania ventumst,
ipsa compositio quae est *Tyrrhenus clangor* ²⁾ et *Volcania arma* nihil

1) ubi de ea figura actum sit, videas ex disputatione de adiectivi enallage, quam nuperrime scripsit Oscar Hey (Wölfflins Arch. XIV, p. 105 ff.)

2) cf. Stat. Theb. III, 650 *Tyrrhenus clangor* et VI, 382 *insonuit contra Tyrrhenum murmur*.

habet, quo offendamur, atque ea coniunctione verborum fit, ut genetivus cum substantivo, de quo pendeat, in unam notionem comprehendantur et nobis lingua Germanica usis non vertendum sit: *der Klang einer tyrrhenischen Trompete*, sed: *tyrrhenischer Trompetenklang* et: *die Volcanischen Gotteswaffen*. item Georg II, 143 *Bacchi Massicus umor* est *Massiker Bacchussaft*, ut g. III, 526 *Massica Bacchi munera* est *Massiker Bacchusgabe*. quod ideo mihi esse dicendum putavi, quod interpretum nemo de tali compositione verbum fecit, nisi quod dicunt adiectivum, quod ad genetivum pertineat, cum nomine regente esse coniunctum. in universum talis ratio adiectivorum nimis ad rem grammaticam exigi solet; neque minus cavendum est, ne in adiectivis ab homine in rem translatis poetam miro modo lusisse putemus, velut Aen. I, 4. *saerae memorem Iunonis ob iram* Jacob¹⁾ Quaest. ep. p. 129 ipse concedit rationem non deesse, cur poeta sic locutus sit pro eo, quod proprie expectari dicit: ob saevam iram Iunonis memoris. sane hoc esset dictionem enervare. item multo fortius dictum est (Aen. III, 44) *heu, fuge crudeles terras, fuge litus avarum* quam quae est explicatio Serviana: *id est crudelium et avarorum*²⁾. neque alius rationis sunt quae Jacob collegit p. 122: Aen. III, 60 *scelerata terra*, VI, 563 *sceleratum limen* VI, 637/8 *locos lactos . . . sedesque beatas*, Georg II, 502 *insanumque forum*. non silentio praeteribo locum Vergilianum quem imitator in suum usum usurpans translatione adiectivi, quae ei inest, privavit:

Aen. XI, 458 dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.
ubi propter cygnos loquaces ipsa stagna dicuntur loquacia. qui autem Pervigilium Veneris scripsit, hunc versum Vergilianum ita

1) non iure Iacobius hypallagen quaerit in verbis Aen. I, 361 *quibus aut odium crudele tyranni aut metus acer erat*, quae cum Servio sic interpretatur: *i. e. odium e crudelitate tyranni ortum*, (Servius: *i. e. crudelis tyranni et figura est; nam in tyrannum odium iustum est*). *crudele* enim adiectivum substantivo *odium* eodem iure additum est atque alteri *metus* adiectivum *acer*: scilicet odium tyranni crudele dicitur, quod est in eo aliquid, quod animum stimulet et vexet, dum saturetur. itaque dici potest: *odium saturare* (Cic. Vatin. 3) et *odium explere sanguine* (Cic. Mil. 23).

2) scholia adnotant: *ex moribus enim cultorum terrae laudantur et vituperantur ut 'devenere locos lactos'*.

imitatus est, ut adiectivum *loquax* cum *cygnis* coniunxerit, quod hoc modo effecit v. 85:

iam loquaces ore rauco
stagna cygni perstrepunt.

Abhorret autem Vergilius ab audacia mirabili translationis epicorum posterioris aetatis, cuius pauca exempla ex Stati Thebaide adscribam: V, 13 de avibus dictum est: *illae clangore fugaci . . . volant* ubi non ipse clangor describitur ut fugax, quod esset caducus vel brevis, sed clangor est fugacium; et V, 541 *moriens ragitus*, quamquam etiam dici potest de voce paulatim mutescente, hoc loco tamen simul dicere vult vocem esse morientis, omnia autem huiusmodi dicta longe audacia superat Thebaidis versus IV, 387:

caram modo lactis egeno

nutricem clangore¹⁾ ciens,

quo loco audacter *clangor egenus lactis* dictum est pro *clangore egeni lactis* (i. e. eius, qui lactis egenus erat); tamen iure coniectura Friesemanni *egenus* non recipitur²⁾.

Nonnumquam fit, ut adiectivum, quod ad obiectum potius exspectamus, alius casus nomini eique ab obiecto non dependenti adiectum sit, velut Aen. II, 171:

nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris,

potius exspectamus: *non dubia erant signa, quae monstris dedit*³⁾; VIII, 209 *ne qua forent pedibus restigia rectis*, quod est *pedum restigia recta* et XI, 573 *atque pedum primis infans restigia plantis institerat*, sententia est: *pedum prima vestigia plantis institerat*, ad Aen. IV, 180 *pedibus celerem et perniciousis alis*, Servius adnotat: *convertit rerum epitheta: nam 'pernic' pedum est, ut 'pernicibus*

1) *clangore* in codd. fere omnibus traditum (*clamore* in Gudiano), cui etiam Kohlmann coniecturam facilem Baehrensii praetulit, tamen tolerari potest. scio clangorem esse tubarum potius quam hominum, sed Stati arte minime indignum est, ut, quod equidem puto, revera voluerit translationem esse de tubae sonitu ad clamorem infantis.

2) audacia etiam insolita est Valer. III, 4 *Aeneidae curis socium digressibus haerent*, cf. Langeni adnotationem.

3) de usu adiectivi *dubius* translati videas Jacob l. s. p. 127, 134, 136.

ignea plantis. *celeritas pennarum est, ut 'celerique fuga sub sidera lapsae'*. cui explicationi in scholiis haec addita sunt: *aut certe describentis est: superracua enim est alas habenti pedum pernicitas: aut sic intellege 'pedibus celerem et alis velocibus'*. e quibus scholiis hoc quidem apparet: dictioni aliquid inesse, quod ratione grammatica frustra explicare conemur. poeta famam sicut *pedibus celerem* ita *pernicem alis* cogitabat, sed non minus quadrat *pedibus celeribus* et *alis pernicibus*. quod autem tertiam coniunctionem ex duabus illis mixtam composuit divinationi potius quam rationi habitae imputandumst.

Ubi duo nomina substantiva duobus adiectivis instructa inveniuntur, compositio ea esse potest, ut primo quidem obtutu dixeris adiectiva inter se esse mutata, quin uno loco etiam sunt, qui adiectivis inter se mutatis sibi videantur versum correxisse. ita Aen. IX, 455 *tepidaque recentem caede locum*, certe simplicius esset: *tepidumque recenti caede locum*¹⁾. tamen valde errat Henry Vergilius interpres ceterum non imprudens, qui verba ita esse restituenda putat. nam non minus certe quam scimus iam grammaticorum veterum quosdam fuisse, qui idem voluerint, Vergilium dici debet scripsisse: *tepidaque recentem caede locum*. quod ex ipsorum codicum memoria quamvis variata apparet: *tepidumque recenti* Medicus, in quo *a* littera correcta est in *u* superscriptam, Romanus *tepidumque recentem*, unus Palatinus habet *tepidumque recenti*. atque minime mirabimur librarios id mendum intulisse, ut adiectivum *tepidum* cum substantivo quod est *locum* coniungerent. sed Servius in codicibus Probi grammatici manum passis legit *tepidaque recentem c. l.* praeteraque nos docet iam veteres quosdam grammaticos coniecisse: *tepidumque recenti caede locum*; adnotat enim: *hypallage est 'tepidum locum recenti caede'*; unde multi legunt: *tepidumque recenti caede locum*. Vergilium scripsisse *tepidaque recentem* testatur etiam Macrobius sat. VI, 6, 3 ubi Servius illa verba inter ea enumerat, *quae in Vergilio notaverit ab ipso figurata*. non sine audacia locus, qui adhuc sanguine tepet, ipse dicitur recens. hoc enim adiectivum usurpari solet de re modo facta: ita *umbrae recentes* dicuntur qui paulo antea mortui sunt: Ovid. met. IV, 434 *umbraeque re-*

1) cf. Aen. VIII, 195 *semperque recenti caede tepebat humus*. cf. etiam Stati Theb. X, 455 *et caede recenti arma rubere notant*; ib. 467,

centes descendunt illac; anima recens invenitur met. VIII, 488 et XV, 846; Stat. Theb. V, 163: matremque recens circumvolat umbra. Stat. Theb. V, 692 fama recens est: modo orta; tumulus modo factus est recens Val. Fl. III, 433, ibid. II, 327 legimus scelerisque recentis signa. uno loco idem adiectivum sensu relativo usurpatum est: Aen. VI, 450:

inter quas Phoenissa recens a vulnere Dido
errabat silva in magna.

est Dido *recens a vulnere*, i. e. recenti vulnere, ad quem locum Hand Tursell. I, 46 comparavit Varron. r. r. 2. 8. *pullum asinum a partu recentem*. relativo sensu etiam dici potest, ut loco, de quo agimus: *locus caede recens*¹⁾. id unum accedit ut *caede* nomini adiectivum additum sit, quod optime cum *loco* quadret. unus tantum locus hunc usum adiectivi *recens* proxime accedit Val. Fl. VI, 455: *semperque recentia sertis tecta petit*.

Locum traiectione adiectivorum audacissima exornatum, de quo explicando multi viri docti desperaverunt, indicavit F. Leo²⁾, relat. soc. Gott. 1898, p. 476: est ecl. III, 109

et quisquis amores

aut metuet dulcis aut experietur amaros.

qua intricatione quos sensus efficere voluerit, facilius sentiri quam explicari potest. paulo dilucidior est similis compositio verborum quam apud Statium inveni, Theb. VI, 371:

Spesque audaxque una metus et fiducia pallens³⁾
cum vulgo *spes et fiducia audax, metus pallidus* dici soleat.

Huic generi hypallages cognata est ratio dicendi, ubi verbum et nomen, quod de verbo eo pendet, eam coniunctionem praebent, ut sermone pedestri ordinem plane converteres, scilicet ut notio, quae subiectum continet, pro obiecto haberes, quae autem obiecto inest, pro subiecto. Aen. I, 237 Venus Iovem ita adloquitur: *quae te, genitor, sententia vertit?* cui respondent Iovis verba v. 260: *neque me sententia vertit*, quod sermone pedestri esset: *neque ego*

1) alia res est, quod Stat. Theb. VII, 394 legimus *dum terra recens*, scilicet rore matutino (cf. schol.) et Aen. VI, 674 *prata recentia rivis* eodem sensu usurpatum est.

2) ibidem nonnulla similis hypallages exempla explicantur.

3) unus P habet coniecturam, ut videtur, *spesque audax una metus . . .*

sententiam verti. quae similia comparari possunt, eorum varia est ratio. cum etiam pedestri sermone dici possit: *classes toto mari adlabuntur*, poeta pulchram imaginem fingit eisdem verbis hoc ordine usus: totumque adlabi classibus aequor (Aen. X, 269); et cum dici soleat: *nerveo intendere*, alio sensu quidem sibi sumit IX, 776 *numeros intendere nervis.* Aen. VIII, 542 *et primum Herculeis sopitas ignibus aras excitat*¹⁾ certe facilius intellegimus: ignes sopitas aris Herculeis excitat. sed dixit poeta *aras sopitas ignibus*²⁾, quod est: aras quorum ignes sopiti erant, vel potius: quae cum ignibus sopitae erant. Aen. IV, 385 pro vulgari coniunctione: *mors animam corpore seducit* haec habet: *mors anima seduxerit artus.* huc etiam referantur XI, 650 *lenta manu spargens hastilia densat*, quae verba Valerius sic mutata in suum opus transtulit Arg. VI, 229: *radit eques densa spargens hastilia dextra*, admirabili autem audacia a Vergilio dictum est Aen IV, 477:

consilium vultu tegit ac spem fronte serenat.

cum in verborum compositione quae est: frontem spe serenat, nihil insit in quo haereas, in ea, quam poeta sumpsit, omnia videntur conversa: *serenare* est *serenum reddere*; sed *spem serenat* h. l. non est *spem reddit serenum*: potius sententia est: frontem serenando spem facit, simulat³⁾. huic loco audacia non multum cedit VIII, 143 sq.:

his fretus non legatos neque prima per artem
temptamenta tui pepigi.

ubi Conington Gossravium secutus arbitratur verbis *legatos temptamenta pepigi* genus zeugmatis inesse. sed quae eius figurae exempla supra explicavi, omnia levioris generis sunt. potius *per* praepositio etiam ad *legatos* retrahenda est, quae retractio eo facilius fit, quod particula negativa repetitur. ordo igitur est⁴⁾: *non per legatos neque per artem prima temptamenta tui pe-*

1) cf. VIII, 410 *cinerem et sopitos suscitavit ignes* = V, 713.

2) *ignibus Herculeis* minime, quod Conington putare videtur, ablativus instrumenti est, sed cum participio *sopitas* sensu relativo artissime coniunctum.

3) locus Vergilianus certe in animo erat Sillio, cum scripsit (XI, 369) *et tristitia fronte serenant.*

4) recte Heynius interpretatur: *non prius te tentavi per legatos et callida consilia.* tamen plus est, quod legimus: *temptamenta pepigi.*

pegi. atque *prima* praemissum praeparat *per artem*, quoniam *prima* temptamina *per artem* fiunt¹⁾. cum dici posset et *temptamenta tui feci* et *foedus tecum pepigi*, poeta dixit *temptamenta tui pepigi*, ut, si convertas verborum inter se rationem, habeas quod sine dubio poeta simul cogitavit: pactionem temptavi, pangere tecum temptavi.

Eam formam hypallages poetae ingenio et divinationi deberi, non arbitrio, quivis sentit; et cognata est eis, quae ex tragicis Graecis Wilamowitz (Heracles II², p. 199) collegit: iure igitur dictionis poeticae optimus ille arbiter sensit Latinorum si quidem apud quemquam talia apud Vergilium posse exspectari. Tamen similia etiam ex aliis poetis Romanis, quamquam pauca sunt, quae cum exemplis Vergilianis comparare liceat, ex eis discas velim, quae disseruit Leo in relationibus Gotting. a. 1898, p. 474 sq.

1) Graecum *πεῖραν λαμβάνειν* (cf. Plato, Prot. p. 342 A *εἰ βούλει λαβεῖν μου πεῖραν ὅπως ἔγω*, Isocr. p. 282 A, aliosque locos) latine est *temptamina sumere*, cf. Ovid. met. III, 341 *prima fide vocisque ratae temptamina sumpsit*. *per artem* temptamina facta narratur met. VII, 727: *meditataque paene reliqui temptamenta fide*.

Conspectus capitum.

	pag.
I, De figurae ἐν διὰ ὁμοῖν usu et ratione	2
II, De tautologia, quae fit in sententiis copulatis, et de parataxi.	19
III, De figura ἀπὸ κοινοῦ	33
IV, De zeugmatis genere quodam	60
V, De structurae quadam inclinatione	65
VI, De translatione adiectivi et hypallage quadam ei cognata . .	74

Index locorum Aeneidis, qui hoc libello explicantur.

Aen. II 203 sq. p. 29	Aen. VII 197 sq. p. 65 sq.
309 47 sq.	444 31 sq.
422 40 sq.	543 sq. 35 sq.
535 35	VIII 82 sq. 29
III 448 sq. 47	143 sq. 79
576 sq. 30	260 66,1
IV 375 62	397 48
399 12	461 sq. 58
477 79	588 40
V 325 sq. 45 sq.	IX 16 sq. 32
512 sq. 70	455 77
704 sq. 67 sq.	772 20 sq.

Vita.

Natus sum Theodorus Duering Emdae, in oppido Frisiae orientalis, pridie Cal. Nov. a. 1880 patre Iohanne (†) matre Theodora e gente Uffen; fidei addictus tum euangelicae. vere a. 1899 maturitatis testimonio gymnasii quod est Emdae instructus Tubingam me contuli, ut studiis philologicis operam darem, et docuerunt me viri doctissimi Tubingenses: Garbe Herzog W. Schmid Schwabe Spitta. Inde vere a. 1900 Berolinam migravi, ubi per tria semestria me docuerunt Diels Graef Heinze Helm Kekule de Stradonitz Koehler (†) Weinhold de Wilamowitz-Moellendorff, etiam ad exercitationes me admiserunt Wilamowitz philologicas Koehler historicas.

Mense Octobri a. 1901 almam litterarum universitatem Georgiam Augustam Gottingensem adii, ubi usque adhuc studiis philologicis archaeologicis historicis operam dedi; atque docuerunt me viri clarissimi Gottingenses Busolt Dilthey Lehmann Leo Schwartz Vischer Wackernagel Wentzel. seminarii regii philologorum Gottingensis per IV semestria sodalis fui, quorum per duo senior, seminarii archaeologici per VI semestria, quorum per duo senior et adiutor. praeterea exercitationibus interesse mihi concesserunt Brandi Busolt historicis, W. Meyer palaeographicis, Wackernagel grammaticis.

Omnibus, qui me docuerunt, quantum debeam semper grato animo habeo, praecipue autem eos, qui eximia in me benignitate studia mea foverunt, qua par est reverentia colam. grates autem quam maximas ago Friderico Leo, quem studiis meis philologicis summa humanitate prospexisse grato animo et fateor et ex hac dissertatione velim cognoscatur.

LL
V816a
.Ydu

Virgil,
Düring, Theodor

Aeneis

83623

De Virgilii sermone epico capita selecta.

**University of Toronto
Library**

**DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET**

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED

